II. PARS
INDIÆ ORIENTALIS,
IN QVA

IOHAN. HVGONIS LINTSCOTANI Nauigatio in Orientem, item regna, littora, portus, flumina, apparentiæ, habitus moresque Indorum & Lusitanorum pariter in Oriente degentium: præterea merces, monetæ, mensuræ, & pondera, quæ quibus in locis, quóve compendio prostent, accurate proponuntur. Ea LINTSCOTVS ipse spectator atq; autor primùm vernaculo sibi idiomate Belgice in publicum dedit: Deinde superioribus Germanis Germanice, & nunc Latinis item auribus Latine vtcunq; reddita enunciauit

TEVCRIDES ANNÆVS LONICERVS PRIuatus, Ciuis Francfordiensis.

Opus & nauigantibus & mercatoribus Historiarumque studiosis apprime vtile.

Addita sunt passim D. Paludani Annotationes: item Icones artificiose in ære facta per Ioh. Theodorum, & Ioh Israëlem de Bry, fratres, quorum sumptibus opus ipsum recens iterum foras datum.

FRANCFORDII,
Ex Officina Wolffgangi Richteri.
M. D. XCIX.

PRÆFATIO SVPER INDIAE ORIENTALIS DESCRIPTIONEM NOVAM.

SIquidem amice Lector, in eum finem natura nobis rationem indulsit, vt non solum pulcherrimum hoc mundi opificium externis sensibus contueri, sed & mentis nostræ radiis contemplari, atque inde artificem plenius agnoscere meritaque laude concelebrare queamus: nec vero vnus aliquis in hoc officium obligatus est, sed incumbit pariter omnibus, vt sibi creditum talentum minime abscondant, sed vt vsuram faciant, & fructũ hero suo centuplum reddant, magnalia Dei passim prædicando atque per vniuersum orbem ea publicando, vt hoc modo pelliciantur homines ad gratias DEO reddendas agnitis eius mirabilibus. Eadem sane & ambobus nobis fratribus Bryæis fuit ratio, cur in officio nostro persistentes in honorem Dei opt. max. vocationem nostram ita prosequeremur, vt & DEI opera magnificarentur, & nostrum studium in iis prædicandis passim constaret. Fecimus itaque & in hoc opere, vt non minus sumptui atque operæ parceremus, quam antea à nobis factum fuit in descriptione Regni CONGO, *quod in Africa est, primam huius Operis partem referente. Secuti sumus in eo institutum & vestigia parentis nostri dilecti, dum viueret, qui cum antea Occidentalem Indiam publici iuris fecisset, moriens sane voluit, vt nos filij eius pari studio atque fide Orientales insulas persequeremur. Nos itaque Africæ partes ordine ob oculos posituri, nec tamen descriptiones nostris o-*

peris conuenientes nacti, forte fortuito in Ioannis Lintſcotani *Hiſtoricam relationem de India Orientali incidimus.*

Continetur in hac Hiſtoria luculenta deſcriptio totius Indiæ Orientalis, noſtro inſtituto percommoda, nec minus miracula Dei *magnifice extollens, vnde Lector & delectationem & vtilitatem haud exiguam capere poſsit: quod cum ita eſſe intelligeremus, operæprecium duximus, vt ea ſumptu noſtro noſtraque induſtria cum priore parte coniungerentur. fecit autem Iconum effingendarum nimius diuturniorque labor, vt Lintſcotani Hiſtoriam in duas partes diuideremus, quo commodius materia digeſtæ lucem viderent.*

In prima parte Linſcotani nauigatio prima deſcribitur, quam in Orientem ſuſcepit ſoluens ex Luſitania, in qua littora occurrentia ordine leguntur. addita & nationum deſcriptio, quotquot oram maritimam à Luſitania in Chinam vſque accolunt, nec præteriuimus negociationes, mores, habitus &c. de quibus in titulo promiſsio facta eſt, quæque in contextu fuſe explicantur.

Adhæc cum autor Lectorem ad Hiſtoriam de Chinæ regno releget, nos pari opera eandem perluſtrauimus, quæque magis ſpectabilia memorabiliaque viderentur, ea in ære inciſa ob oculos poſuimus, addita ſuccincta expoſitione, vnde hiſtoria noſtra & luculentior & perfectior prodit.

In altera Hiſtoriæ Lintſcotanæ parte, quam Tertiam Indiæ Orientalis partem *diximus, Reditus Lintſcotani in Luſitaniam & tandem in Hollandiam deſcribitur, commemoraturque iuxta quid dignum ſcitu in eo contigerit, dum videlicet tempus nunc in India, nunc in Inſulis occurrentibus duceret, quibus adiungi debet* deſcriptio ſimplicium orientalium, *aromatum, gemmarum, Iconibus æneis & ipſa repræſentanda.*

Neque prætereunda tabula Goæ *Indiæ metropolis, neque* Angræ *in Terceris Inſulis vrbis famoſiſsimæ, neque tabula generalis Hydrographica Geographicaque, in qua nauigationis huius curſus penitus deſignatur, quam tertiæ parti eo*

libentius

libentius annexuimus, quod secunda iam referta esset σκιογραφία habituum morumque exoticorum.

Fit præterea mentio in Historia Lintscotana regni Guineæ, quod tametsi ad primam partem, videlicet ad Congo regnum, quod in Africa est, pertineat, at ne quid hic desideretur, illud & Iconibus repræsentatum, & descriptione luculenta expositum huc contulimus, cuius ordinis hæ fuerunt rationes, prima ne Edoardi Lopesij historiam mutilaremus, sed vt & ordinem & contextum eius sartum tectum retineremus. Secunda, quod ante Lintscotanum, cuius nunc demum nobis facta est copia, plenior Guineæ descriptio nobis ad manus non fuisset. Vnde cuique autori suum reddentes, nemini detractum cupimus. nec refert, quod eiusdem autoris materiam transponentes, in suum locum, videlicet ad Africæ oram eam occurrentem apposuerimus.

Quod studium nostrum tibi ò Lector, probatum cupimus, vnde & delectatio & fructus erit haud pœnitendus, præsertim si in animum induxeris tuum, quanta misericordia & gratia nobis à DEO facta sit, dum se nobis in filio patefecit, amoremque suum paternum, æternamque voluntatem ita reuelauit, vt nos ex tot gentibus electos sibi sanctos asciuerit, tametsi reliquæ ingenij acumine, prudentia ciuili, potentiaque & opibus thesaurisque mundanis, longe nobis superiores sint. Cæci equidem & vera luce cassi, tamque procul à vera DEI noticia remoti, quam vlli gentium sub Sole, colentes Dæmonia & idola, vnde diuus Paulus vere dixit, non in voluntate nec in cursu alicuius, sed in sola miseratione DEI id esse positum.

Nos itaque qui ex numero electorum sumus, agamus DEO gratias, pro paterna eius in nos, voluntate, quam nobis præ aliis potius, patefactam voluit, neque lingua solum, sed factis testemur, quam ex animo super eius misericordia lætemur; emendemus nos in melius, ne peccatis nostris irritatus DEVS nobis repudiatis illos præferat, haud secus atque olim nos præ gente sua sancta elegit, commotus ingrati-

tudine & peruicacia gentis eius durißimæ ceruicis. incumbit verò nobis maximè vt ipsis factis operibusq́; nostris aliis præeamus præluceamusq́;, quo infideles, & à vero DEI cultu longius remotos exemplo nostro alliciamus, vti in magno illo die Domini vox in auribus nostris personet: Venite vos fideles serui in gaudia domini vestri, minimum talentum vobis concreditum, administrastis probè, præficiemini deinceps maiori. quod faxit pater misericordiarum per dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

ILLVSTRIS-

ILLVSTRISSIMIS, GENEROSIS, NOBILIBVS ET PRVDENTIBVS DOMINIS REPRÆ-*sentantibus Status confœderatos prouinciarum Belgij.*

SVNT qui nimium ſimplicitatem ſuam produnt, dum quæcunque noua ſparguntur, nullo iudicio temere arripiunt: ſunt ediuerſo alij, qui mea opinione, ſaluo tamen aliorum iudicio, naturam rerum nimium arctis finibus includunt, dum non niſi quæ in noſtro hemiſphærio fiunt, fide digna putant, quæ vero extra eius limites referuntur, tanquam fabuloſa irrident: falluntur ij, ſiquidem vtrobique inuenias, quæ ob ſingularem & ſtupendam naturæ vim & actionem memoranda ſint.

Quin ſi ad aliud nihil reſpiciamus, quam ad telluris pariter & aquæ diuerſitatem, in externa contemplatione, atq; virtute interna, tum in creaturis brutis, in iis viuentibus, tum in ipſorum hominum ſub eadem cœli eleuatione degentium differentia apparentem; haud iniuria ex tali naturę inueſtigatione commoueri debemus, vt credamus minimam eius partem nobis cognitam, ſiquidem videmus ipſam naturam humana inuenta tam prope effingere, vt aut parum aut nihil in eo diſcrepet. quæ ſane cum non tam admirationem, quam veritatem mereantur, incitare nos debent ad penitiorem contemplationem Creatoris tantorum operum. quod ſi fiat neceſſario fatebimur, humanum intellectum cæcum plane, diuinam vero ſapientiam multa nobis eiuſmodi admiranda propoſuiſſe, cuius cauſæ nobis imperſcrutabiles, ſoli autem DEO cognitæ ſint. Quis non miretur arborem illam Indiæ orientalis, quæ triſtis dicitur, tota nocte florere, in aurora vero flores ſimul omnes exuere, quos ſub veſperam recentes pariat, atque his vicibus per totum anni circulum ire atque redire, vt cum poëta loquar. Quin quod magis mirandum eſt, quod in Anhaltina prouincia, certo quodam in loco vrcei tam affabre fa-

(:) 4 cti è terra

cti è terra effodiantur, vt recētes ex figulina prodire credas, ansis singulari cum industria affixis, quorū nuper duo ab illustr. *duce VVirtemb. dono dati sunt Doct. Bernhardo* Zum Bröder *Medico huius reipubl. Enchusanæ,* fide facta ab eodem illustris. principe, non nisi naturæ opus, nec vllius hominis manibus effictū. Quid nisi magnetis natura nobis tā perspecta esset, quis sine summa admiratione eius virtutem contemplaretur, dum vi tanta ferrum attrahit, referens se diametraliter ad polum arcticum? cuius rei vis abdita hactenus multa pręclara ingenia torsit, necdum quantum ipse video, ea eruta aut suis causis sufficienter declarata est: at nos eo minus hęc miramur, quod sensus nostri consuetudine ad eam inuestigationem obbrutescunt. Quoniam vero natura eiusmodi plurima nobis exhibet, quorum alia ob vulgaritatem non curamus, alia ob ignorantiam nescimus, dementia foret, imo desidia, si mentis nostræ oculos haud vlterius proferremus, sed tanquam in priuatum sinum demissos à contemplatione rerum tam pulcherrimarum ex propria persuasione subduceremus potius, quā propria experientia, latentes incognitasq; naturæ partes in apertum ederemus. Relinquo tamen suum cuiq; iudicium tum in his, tum in aliis. Mea quidem sententia hæc fuit, vt ea, quæ intra annos tredecim in Oriente vidi, vel plane mecum sepulta habere, vel simplicissime publicata foras darem sine vllis ambagibus, aut ex propria opinione adductis argumentis confirmata, vti nimirum veritatis oratio eo esset simplicior. Et sum quidem ea in parte rationem meam ita secutus, confisus Lectori in eo gratum accidisse.

Posteaquam itaq; congesseram, quæcunq; Lectori commodum allatura existimabam, sane quam poteram accuratissime, atq; vt animi mei aliquā ergā Illust. & magnificas vestras præstantias significationem gratitudinis ergo publicarem officiosissime, constitui mecum, si qua memoratu digna inter ea occurrerent, vestro patrocinio submittere, non fretus tantum autoritate vestra, vt quæ quam plurimum contra inuidorum morsus valeret, sed & vt pręter debita officia, quæ naturaliter vobis deberem, vobis fidem & ingenuitatem meam probarem. quod vt facerem, autor mihi fuit clarissimus Doctor *Franciscus Melson iam tot annos syndicus & aduocatus Statuum Hollandicorum,* cui cum placuisset descriptio nauigationis nostræ versus polum arcticum, quam *iter Nassouium* dicunt, voluit idem *Melsonius* ne in hac parte nobis deessemus, deferens simul omnia humanitatis beneuolentiæq; officia promptissi-

ma.

ma. Quare & hunc laborem nostrum V. Ampl. ita commendamus, vt patrocinio suo ea fouere dignentur. quod si fecerint, addent animum deinceps præcipuas Asię oras maritimas cum insulis adiacentibus eodem filo contexẽdi. Deferens autem V. A. omnia mea seruitia humilime precor DEVM omnipotentem, vt easdem incolumes diu conseruare dignetur, in salutem patriæ nostræ, largiaturque quæ & animo & corpori salutaria sint. Datæ *Enchusii, Kl. Ian. Anno. 1596.*

A. V.

Submisse colens

Ioan. Hugo Lindtsconus
ex Harlemo.

LINT-

LINTSCOTANI

PRÆFATIO AD LECTOREM.



DVM versarer, amice Lector, in India Orientali, vsus sum præcipuorum tàm ex Christianis, quàm reliquis indigenis (quod tamen citra iactantiam dictum velim) familiaritate, ita, vt nullo negotio de quibuscunque rebus scitu dignis per eas regiones recte instrui potuerim, qua oblata commoditate facere non potui, quin quædam vel annotarem, vel vtcunque delinearem, quæ aliquid peculiare in se continerent, aut alias à nostrorum moribus discreparent, idque solum delectationis gratia, vel vt amicis & consanguineis meis aliquando noua quędã reuersus in patriam communicarem. Posteaquam vero in patria vrbe Enckhusana collectanea mea recensuissem, atque eadem nunc huic nunc illi communicata, tametsi nimis rudi filo & ordine parum digesto tractata in manus hominum venire passus fuissem, factum est, vt qui legissent ea, singulari cupiditate ducti, vltro mihi autores essent, atque serio instarent, vt quæ in nauigatione mea vidissem

dissem, publici iuris facerem, vti qui vellent, ex illis delectationem sibi peterent. Quibus cum tandem ex parte consensissem, iamque operi accingerer, deprehendi multo accuratiorem requiri in eo & dispositionem & solertiam diligentiamque, si earum rerum peritis aliquatenus satis facere vellem. Quemadmodum vero qui in altum prouecti sunt, sero sapiunt, seroque de conscensa naui conqueruntur, sic & ego parum profecero excusatione mea, aut si quorundam ignorantiæ consulere velim. Fretus vero candidi Lectoris syncero iudicio, atque beneuolentia summa, vt qui opellam meam, & inconditam scribendi rationem facile boni sit consulturus, si respiciat videlicet animi mei intentionem, qua non nisi amicis & consanguineis priuatim gratum facere vol: quin imo vt saltem mihi ipsi ea pro memoria forent, si quando in conuersatione familiari vobiscum ea de re agerem, recitaremue quæ mihi toto hoc spacio annorum tredecim continuorum, tum inter nauigandũ tum inter commorandum, & admiratione & cõmemoratione digna occurrissent. nec dubito quin lectio huius Historiæ cuiuis sit gratissima iucundissimaque futura. quin plus inde fructus atque commodi emerget quam vel promittere sibi aut sperare quis possit.

Quæ cum ita sint, primum rogamus vt in Iconibus hisce rei potius viua effigiatio quam artis industria spectetur, neque in orationis contextu vllus ornatus aut sermonis elegantia requiretur. nec enim vt ingenue fatear, à teneris ad istud studiorum genus à parentibus sum adhibitus, multo minus in eo versatus exercitatusue. Nudam veritatem nudis verbis simpliciter proposui, vt qui veritatis vsque quaque fuerim à prima ætate mea studiosissimus. Atque vt operæ meæ aliquod precium feram, mentem potius scribentis omnibus modis publico commodo studentem, quam opusculum leuidense hoc boni consulere velitis. hoc si à te, ô Lector beneuole, acceptum retulero, iam abunde mihi satis factum ingenue profiteor, profiteborque donec apud memores pulchri stat gratia facti. Vale feliciter.

II. PARS

II. PARS INDIAE ORIENTALIS.

Argumentum Operis.

DEscribitur in hoc Opere IOANNIS HVGONIS LINTSCOTANI *Nauigatio, quam ille in Indiam Orientalem suscepit. Enumerantur regiones, littora, portus, flumina, promontoria nauigantibus apparentia, & quæcunque alia à Lusitanis hactenus in Oriente detecta sunt: Habitus item moresque gentium illarum nobis insolentiores, quibus tum ipsi Lusitani in regionibus illis agentes, tum indigenæ ornantur: templa quoque, idola, ædificia &c. quæ cuncta in tabulis æneis artificiose incisa luculenter ob oculos ponuntur. Addita est paßim perspicua narratio de variis superstitionibus, deque politico & œconomico earum regimine. item de mercibus, mercatura, monetis, mensuris, ponderibus, quæ, quibus in locis, quoue compendio prostent: ea Lintscotanus in eorum gratiam, qui rerum mirabilium nouitate suauitateque afficiuntur, ex propria experientia deprompta in Historiam retulit. & primum quidem summa cum diligentia sermonisque illicio, in patrio idiomate quod Batauorum erat, ipse author & spectator omnium publice proposuit: eadẽ deinde versa superoribus Germanis vernacula lingua reddidit* TEVCRIDES ANNÆVS LONICERVS PRIVATVS, *Poes. & Med. cand. Ciuis Francfordij ad Mœnum. Idem quoque* LONICERVS *nunc demum eadem Latinis auribus vt cunque reddita recens exhibuit.*

CAPVT PRIMVM.

EGo IOANNES HVGO, patria LINTSCOTANVS, à prima ſtatim pueritia mea mire afficiebar earum Hiſtoriarum lectione, quæ de rebus vulgo incognitis ac procul ſitis regionibus agerent, vnde me vehemens inceſſerat deſiderium, vt eadem quæ legeram, coram inſpiciendi penitiusque cognoſcendi ingenti ardore flagrarem, deſideriumq; meum tandem explere, & relictis ad tempus amicis, conſanguineis, patriaque in remotiſſimas orbis partes abire animo meo plane conſtituerem. Equidem haud facile dixero, quam ægre à meis diuelli potuerim, vicit tamen deſiderij explendi inſatiabilis cupiditas, adeo vt propoſitum meum alacriter conſtanterque vrgerem, commendans vias meas DEO opt. max. ſpeque bona fultus, fore vt ipſe conatibus meis dextre aſpiraret. Valedico parentibus meis chariſſimis per id tempus Enchuſij habitantibus, nauiculamque conſcendo, quæ in Texeliam inſulam curſum dirigebat, vt claſſem illic commorantem iam iamque in Hiſpaniam Luſitaniamque ituram offenderem, eo nimirum fine, quo in aliqua earum nauium ad Inſulam S. Lucæ de Berrameda Hiſpalim vſque deportarer, inuiſurus illic duos fratres meos ad aliquot annos ibidem degentes, ex quibus non tam mores gentis Hiſpanicę addiſcerem, quam aliquam linguæ illius cognitionem mihi compararem.

Anno 1579. claſſe 80. nauium inſtructa ſoluimus Texelia Hiſpaniam petentes. *Nono* eiuſdem menſis die inter Angliam Galliamque curſum tenemus. *Duodecimo* promontorium Compoſtellæ, ſiue S. Iacobi in conſpectu habemus. *Decimo quinto* apparet Sintra, vulgo *Capo de Roxent* dicta, vbi *Tagus* mare ingrediens famoſiſſimum Luſitaniæ Emporium Olyſſiponem vulgo Lyſſibonam alluit, quo vbi deuentum erat, aliquot è claſſe noſtra naues portum ingrediuntur. *Decimo ſeptimo* S. Vincentij promontorium occurrit. *Vigeſimo quinto*, quæ Natalis erat Domini noſtri Ieſu Chriſti, ingredimur alueum *S. Lucæ de Berrameda*, morati illic ad triduum Hiſpalim contendimus, ipſoque natalitiorum die ſalui appellimus.

Kl. Ian. Anno 1580. alterum meum fratrem conuenio, alter ſiquidem *Mantuam Carpetanorum*, vbi aula regia erat, iam pridem abierat. Tametſi vero conſtituiſſem mecum recta pergere, neceſſario tamen ad tempus mihi illic hærendum fuit, donec aliquam Hiſpanicæ linguę cognitionem compararem, ſiquidem eius ignari per ea loca minus expedite peregrinantur. Dum hæc agũtur, *Henricus* vltimus Portugalliæ Rex fatis concedit, vnde tumultu per regnum coorto omnia ad ſeditionem ſpectabant. Rex. n. Henricus moriens hæredem legitimumque in regno ſucceſſorem ſibi conſtituerat *Philippum* Hiſpaniarum Regem, ſuum ex ſorore nepotem, tametſi ſatis ſciret Hiſpanos iam olim à Luſitanis implacabili odio diſſidere, vnde factum eſt, vt Luſitani quibus poterant modis atque viribus Philippo Hiſpaniarum regi ſe opponerent, Regemque ſibi eligerent ANTONIVM *Priorem de Ocrato*, demortui Regis ex fratre nepotem. Quod cum Hiſpano nunciatum eſſet, protinus inſtructo exercitu Luſitaniam ipſemet contendit, vt inauguratus regni inſignia auferret. præmittit *ducem Albanum* cum aliquot copiarum comitatu, qui tumultus ſedaret, & ita partim vi, partim promiſſis, regnum Rex occupat. Hæc erat cauſa cur plurimi Hiſpali aliiſque è locis exciti Luſitaniam peterent. vulgus enim nouitatis mutationumque auidiſſimum eſt. Inter cæteros & frater meus aliorum inſtinctu ad id bellũ profectus erat, is primo aulam regiã, in vrbe *Badaicos* ad fines

Henricus Luſitaniæ Rex moritur.

Seditio in Portugallia.

ad fines Hispaniæ Lusitaniam versus sita, constitutam sequebatur, donec aliquam melioris fortunæ occasionem arriperet. ipso autem aduentante regnũ erat pacatum, *Antonius* profligatus, & *Philippus* ab vniuerso regno in Regem confirmatus. Frater ergo mutans consilium suum de itinere Lusitanico, in Legatos quosdam incidit, qui Regis negocia in Italia obirent, quorum ductu *Salamancam* peruenit. Eô delatus morbo epidemio tum temporis multisque millenis exitiali, quem indigenæ *Tauardillam* nuncupabant, correptus extinguitur.

ANNOTATIO DOCT. Paludani.

Morbus cuius hîc fit mentio, contagiosus erat, nec per Hispaniam solum, sed & per Italiam, Germaniam, totumq; Christianum orbem grassabatur: cuius ipse testis sum, qui tum temporis per Italiam ægros visitaui. Italis Coccolucio dicitur, ficto nomine, quod moribundi ex eo, more gallorum gallinaceorum crocitarent ob catharros in tracheam defluentes, vnde angustati ægri torquebantur. Erat autem febris putrida, pestilentialis, ardens, continua, variis symptomatibus concurrentibus, nec vltra quadriduum plærunque durans.

Haud multo tempore ante pestis per Lusitaniam tam atrociter grassata fuerat, vt Olyssipone ex ea perirent intra biennium vltra octoginta hominum millia. Pestem eam immediate subsecutum est cõtagium modo dictum, quod vniuersam Hispaniam misere deuastabat.

Quinto Augusti die, vbi iam mediocriter linguam percepissem, contigit mihi Nobilis quidam Germanus: qui pedestri itinere Lusitaniam petebat. illi me adiungo, donec commodior offerretur occasio. *Kl. Sept.* Hispali vna digressi, aliquot vicos peragramus, tandemque *Badaios* octauo mensis eius die subsistimus. ibi fratrem meum alterum, qui regiam aulam sequebatur, vnoque partu cum demortuo illo, cuius supra mentionem feci, fuerat editus, opportune conuenio.

Eodem hoc mense ANNA *Austriaca* Regina Hispaniæ, soror Rodulphi II. Imp. Rom. filia Maximiliani II. coniunx Philippi Hispaniarum Regis, è viuis excedit, vnde tota Hispania in luctu erat grauissimo; demortuæ cadauer *Badaios* auectum deportatur in monasterium *S. Laurentij in Escurial*, vbi Nouendialia illi fierent. Morati ergo ad dies aliquot in vrbe *Badaios*, iter tandem ingredimur, *Eluasq;* contingimus, quæ ciuitas prima occurrit Lusitaniã ingredientibus, circiter duo aut tria milliaria ab aula Hispanica *Badaios*, dissita. Inter vtranque ciuitatem sunt confinia regnorum Hispaniæ & Portugalliæ. Prætergredimur deinde Lusitanorum quędam oppida, tandemque Olyssipone consistimus. Agebat tum temporis eo in loco *dux Albanus* Gubernator regius per Lusitaniam, eratq; maximus rerum omnium apparatus, siquidem in aduentum Regis inaugurandi omnia fiebant regie. Incidi interea, dum Olyssipone agerem, ob aërem insuetum & infectum, in grauissimum morbum. conualui tamen diuina ope septies prius venâ sectâ. Hinc nobilem illum herum meum relinquens, negotiatori cuidam me addico, ex quo mercaturæ rationes addiscerem, quoad institutum meum occasione data ex sententia prosequerer. Desæuit interim pestis, cuius denuo scintillæ passim volitabant, qua de causa etiã Rex aduentum suum in Maiũ mensem anni 1581 distulerat. Mense itaque

Regina Hispaniæ moritur.

Rex Philippus Regnum Portugalliæ obtinet.

Maio triumphans Olyſſiponem ingreſſus rex regie equidem & more gentis magnificentiſſime exceptus fuit. Inter artifices mechanicos obtinuit palmã natio Germanorum. portam enim pontemque quo Rex egreſſus triremem procedens vrbem ingrederetur, tanto cum artificio iuxta flumen conſtruxerat, emblematumque varietate exornauerat, vt intuentibus ſtupori eſſent. plateæ vicorumque anguli procurrentes precioſiſſimis tapetibus appenſis, in quibus acu pictę fuerant Hiſtoriæ amœniſſimę, paſſim obuios oblectabant: atque vt vno verbo dicam, pompa erat vere triumphalis, apparatusque tanta ſolennitate dignus.

Dux Albanus Olyſſipone expirat.

Duodecimo Decembr. die anni 1581. dux Albanus ſummus Regiæ aulæ præfectus in ipſo regis palatio expirauit. is animam fugientem per integram quindenam ante obitum ſuum lacte muliebri refectus cohibuit: demortui cadauer aromatibus conditum in ducatum Albanenſem ipſi hæreditarium deportatum fuit.

Don. Diego Regis filius obit.

Eodem menſe & rege etiamnum Olyſſipone morante, Don Diego, regis maior natu filius, princeps heresque regnorum Hiſpaniæ Luſitaniæque diem ſuum obiit Mantuæ Carpetanorum, ſubſecutusque denuo eſt luctus per vniuerſum regnum; nec enim REX præter vnicum filium *Philippum,* præterque duas filias, plures regnorum ſuorum hæredes habebat.

Imperatrix ſoror Regis Olyſſiponem advenit.

Appulit eodem quoque menſe Olyſſiponi vidua Maximiliani Rom. Imp. ſoror Regis Philippi. ea comitabatur filiâ ex vno pede claudicante, quæ deinde in cœnobium data fuit. illarum aduentus haud minore pompa, quam antea regis celebratus eſt.

Regis filio natu maiore mortuo, conuenerunt totius Hiſpaniæ Luſitaniæque proceres Olyſſipone in palatio regio. erant ij tam perſonæ eccleſiaſticæ, quam politicæ, & more gentis maxima cum ſolennitate PHILIPPVM Hiſpaniarum principem, tanquam legitimum ſucceſſorem & hæredem tot regnorum agnoſcentes ſuſcipientesq́; iuramentum ei fidelitatis vnanimi conſenſu præſtiterunt.

Anno 1582. ſoluit Olyſſipone ingens & inſtructiſſima claſſis præfectus illi erat Marchio de S. Cruce. vehebat ea primæ nobilitatis viros ex vniuerſa Hiſpania & Luſitania, qui propriis ſumptibus, & vt debitam erga regem ſuum obedientiam atque obſequia debita declararent, verſus Inſulas Flandricas iter dirigebant, obuiam proceſſuri don. ANTONIO, eas oras cum Armada gallica, Philippo Strozio præfecto tenenti. Vbi vtrinque in conſpectum ventum eſt, obuiis ſignis congrediuntur, prælium que acerrimum committunt. deſiderati vtrinque plurimi, ſuccubuit tandem Gallorum claſſis, ex quibus capti complures. Erant inter captiuos præcipuæ nobilitatis Galli, quos Marchio ad vnum omnes capite plecti iuſſit in Inſula S. Michaelis: reliqui Gallorum in Hiſpaniam abducti, & ad triremes dati ſunt. dn. ANTONIVS vix ęgre in nauicula euaſit. Præfectus *Philippus Strozius* in celoce effugiens, lethaliterq́; ſaucius paulo poſt expirauit. Ea victoriâ Hiſpani potiti, in tantum animis elati ſunt, vt Olyſſiponẽſes Marchionem ſolenniter triumphantem exceperint.

Philippus Strozius. Don. Antonius ſuccumbit.

Rebus tandem plane compoſitis, REX Portugalliæ Gubernatorem conſtituit ALBERTVM Auſtriacum, Cardinalem, & ſuum ex ſorore nepotem. Ipſe vero cum ſorore Imperatrice reliquiſque aulæ ſuæ proceribus, Mantuam in Hiſpaniam reuertitur.

Albertus Auſtriacus Gubernator Luſitanæ.

CAP.

CAPVT. II.

ARGVMENTVM

Nauigatio Hugonis Lintſcotani in Orientem.

MEnſibus dein aliquot Olyſſipone exactis, neque mercaturâ ex ſententia procedente, propter Hiſpanorum cum Luſitanis diſcordiam, opportune accidit, vt eſſet Olyſſipone monachus quidam Ordinis S. Dominici, nomine VINCENTIVS FONSECA, genere nobilis, & ob eruditionem præclaram præfectus concionibus coram Rege Sebaſtiano faciendis. Rege vero Sebaſtiano bellum in Aphrica gerente, & in eodem ſuccumbente, captus quoque fuit Vincentius hic Fonſeca, ſed redemptus precio ad ſuos rediit. REX PHILIPPVS de monachi erudita facundia edoctus, & ipſe eundẽ concionibus aulicis pręficit, iamque ad altiora dignitatum faſtigia eum euecturus offert ei Archiepiſcopatum totius INDIÆ Orientalis tum vacantem: quem cum ei gratioſe contuliſſet, à Pontifice id ratum haberi impetrat. Fonſeca minime ignarus tam immenſi, tamque periculoſi itineris, quas poteſt cauſas prouinciam oblatam ſubterfugiendi nectit. Rex nihilominus ſuadendo inſtat quouſque perſuadetur, pollicetur iuxta muneris illius ſubleuationem finito ad ſummum quinquennio, quando in Hiſpaniam reuocatum in quietiorem ſtatum eum collocaturus ſit His itaque conditionibus Fonſeca inductus itineri accingitur. Ego interim in propoſitum meum intẽtus, cogitabam qua via mihi ad illum aditus eſſet, ne occaſionem tam commodam prætermitterem. Accidit vt frater meus, qui vni ex regiis Secretariis inſeruierat, impetrata ab hero ſuo veniâ munus Scribæ, in aliqua nauium Orientem petitura, impetraſſet. id peropportunum ad inſtitutum meum fuit. Herus fratris mei intimus erat amicus Fonſecæ, adeo vt nullo negotio apud Fonſecam per illum promoueri, reliquorumque ſtipendiariorum numero, quorum quadraginta erant, adſcribi poſſem: ad hæc, quod frater meus inter naues delectũ haberet, delegerat ſibi eam, qua Archiepiſcopus vehebatur, eo fine vt alter alteri commodius ſubuenire poſſet. Rebus ita paratis nauigationi accingimur. claſſis noſtra erat quinq; nauium, quarum ſingulæ ſepties vel octies mille vaſa portarent. Prætoriæ naui nomen erat S. Philippus: alteri ab illa S. Iacobus; vtraque nouiter ædificata, illa Regis, hæc filij regij nomen obtinens. Tertia nuncupabatur S. Laurentius: Quarta S. Franciſcus: ac ea, qua vehebar ego Saluatoris nomine inſignis erat.

Vincentius Fonſeca Archiepiſcopus Indiæ.

Octauo Aprilis die, quæ erat feria ſexta in Paſſione Domini, anno 1584. (circa quod tempus, quatriduo videlicet ante vel poſt, naues vt plurimum ſoluunt.) in altum vnâ prouehimur, Maderam inſulam verſus, Deoque vias noſtras committimus, abſque cuius ductu vanus eſt omnis conatus omniſque labor mortalium.

Claſſis ſoluit octauo Aprilis, Anno 1584.

CAPVT. III.

ARGVMENTVM.

Nauium administratio, earum videlicet, quæ in Indiam Orientalem cursum tenent.

Naues communiter nunc quadringentos, nunc quingentos vehunt homines: interdum plures, interdum pauciores, prout se nautæ milite sue stipendiarij offerunt. Abeuntes non vsque adeo onerantur, paucas olei, viniue serias ac quasdam priuatorum hominum merces vehũt, reliquum saburra est & commeatus, quo in naui victitent. Regalis moneta Lusitanica, quam octonariam vocant, præ omnibus aliis auehitur. eam. n. vasallis pro pipere suo tempore conquirendo pendunt. Auehunt etiam magnam pecuniæ vim ad priuatos mercatores pertinentem, nec sunt aliæ merces vtiliores apud Indos. In regali moneta octonaria plusquam quadraginta per centum lucrantur. vt primum naues è portu egressæ in altum venerunt, quotquot in naui sunt siue nautæ siue milites, recensentur, si qui nomina professi non cõparent, ij notantur à Scriba nauis, eo fine, vt itinere remenso cum fideiussoribus absentium iure agi possit. nec enim cuiquã nomen suum absq; fideiussore profiteri licet. Absentes si merces habuerint in naui, eæ quam primum auctione facta distrahuntur, saluo inuentario. Inuentarium Capitaneo traditur: similiter proceditur si quis in naui fato fungatur, sed bona ea raro ad iustum hæredem pertingunt. intercipiuntur interciduntque suppressis rationibus. Nauarchus & Nauclerus eundo & redeundo parem ambò mercedem capiunt, centum videlicet & viginti millerisas, quarum singulæ septem nummos Carolinos Batauis in vsu, faciunt. Quęcunque rationes in Lusitanica moneta instituuntur, eæ fiunt per numismatis quandam speciem indigenis *Risa* vocitatam. ea est minutissima omnium moneta in toto Lusitanię regno; quantumuis etiam summa excrescat, non nisi per Risas computatur. Faciunt autem 160. Risæ vnum nummum Carolinum, siue quatuor nummos regales. Risa vna duos obulos facit apud Batauos; atq; hæc in gratiam eorum qui per Portugalliam peregrinantur, hoc loco exposui. Cęterum vt institutum prosequar, vterque tam Nauarchus quam Nauclerus pro arra accipit 24. millerisas, habetque vterque tam infra quam supra in naui suas cellas, quas aliis locando magno cõmodo tenet: gaudent prætere a ambo suis immunitatibus, nec pro mercibus, quas sibi vehunt, quicquam pendunt. Reliqui officiati, vulgusque nautarum, quilibet pro sua quota stipendiũ capit. Notandum tamen hoc loco, quod tametsi quilibet suam arram habeat, ea tamen non sufficiat in honoraria expendenda, quibus nauigationem à Regiis præfectis mercari necesse habet. Prouisor enim regius quem *Admirantem* vocant, vt plurimum ex gratia, nec ex merito officia dispensat. Neque interim est certum aliquod salarium nauigãtibus constitutum. crescit & decrescit pro ratione temporum. Et ea quę hoc loco commemoraui, in genere dicta sunt, atque eo modo, quo in naui nostra tum fiebant. Proximus à Nauarcho, q lintribus pręficitur in vniuersum quinquaginta millerisas accipit, ex quibus decem ipsi in arram dantur. Guardianus siue nautarum pręfectus singulis mẽsibus capit 1400. Risas, ex naulo vero 2800. Risas in arram septem millerisas. *Sete Piloto* (is est qui vicem naucleri tenet) in mensem habet *1200.* risas, quę faciunt

Regalis moneta.

Risa monata Lusitanica.

Honoraria præfectis pendenda.

faciunt tres scutatos, gaudetque pari immunitate vecturæ cum nauclero. Duo fabri lignarij, & duo *Calaffatæ*; ita vocant eos, qui rimas in naui stupa obstipant, quilibet eorum per mensem quatuor Scutatos capit, adhæc ex vectura 3900. risas. Dispensator victualiorum cum *Morhino* is est, in cuius potestate sunt captiui, quique munitionem & ignem curat, accipiunt singuli in mensem millerisam vnam, & ex vectura 2340. risas, præter cellas sibi destinatas & immunitates per vectigalia: quemadmodũ & reliqui officiati. Remiges, Butgeri, quique tormentis præficiuntur suum stipendium habent, pro cuiusque nimirum conditione. Similiter fit de reliquis, quotcunque in naui seruiunt. Vietori tres scutati cedunt, & 3900 risæ ex vectura. Sunt ibi duo *Strinceri*, qui funes nauticos, carbasa, & antennas tractant pedemque faciunt cum opus est, in mensem singuli habent vnam millerisam & 2800. risas ex naulo. Sunt præterea remiges triginta tres, quorum quilibet in mensem millerisam vnam, & 2800. risas ex vectura habet. Sunt & triginta septem *Butgeri*, quorum singuli per mensem 660. risas & 1860. risas ex vectura habent. Sunt pueri quatuor, (*Pagiens* vocantur) qui cum vectura in mensem 443. risas capiunt. Summus armamentarij præfectus & octo tormentariorum magistri differunt salariis. Adest & Chirurgus cui nullum est certum stipendium. Factor siue curator, & Scriba nauis nihil certi pro salario habent. Occupant tamen suas peculiares cellas, habet enim quilibet in naui cellam viginti pipas, seu vasa magna capiẽtem, & supra foros cubiculum, vnde *illis* magnum sane commodum ad illos redit.

Et tot quidem sunt personæ qui necessario in naui requirantur, quibusque quotidie suum dimensum præbendum est, seruata æqualitate per omnes, nec differt in eo vel summus vel infimus. Capiunt singuli dietim panis bis cocti libram vnam cum tribus quartis, medium cantharum vini, vnum cantharum aquæ, arrobam vnam (pendet autem arroba 32. libras coctæ carnis, quantum in mensem dari solet.) pisces aridi, cæpe, allium & reliqua haud magni precij ab initio statim in capita distribuuntur. Dulciaria quædam ex conditis, confectis, saccharum, mel, passulæ, pruna, farina, & eiusmodi delitiæ reponũtur quidem pro ægrotis, quibus tamen minima illorum portio cedit, seruiunt Præfectorum gulæ, quicquid de reliquis fiat. Ligna, adipem, ollas, sartagines, & coquendi ministeria quisque sibi præstare cogitur.

Præter eos quos supra commemoraui in naui necessarios restat adhuc alius Curator aliusque Scriba, qui Regis nomine militibus stipendiariis suam locant operam. illi peculiare dimensum sibi ipsis sumunt, quod & remigibus in more est.

Quæ hactenus dicta sunt, solum concernunt nauigationem quæ in Indiam instituitur, non eam quæ ex India iter remetitur. In reditu enim singuli suum dimensum vsque ad promontorium Bonæ spei accipiunt, inde per reliquum itineris quisque sibi commeatum pręstare cogitur. Milites vero stipendiarij & reliqui peregrinantes nihil omnino præter vecturam liberam pro seipsis habent. neque vlli stipendiariorum reditus in Hispaniam patet absque viceregis permissu, nisi per integrum quinquennium regi stipendia prius fecerit in India. Si quis Sclaui aut mancipia in naui fuerint, ij redeundo vecturæ precium pro se ipsis & regi insuper suum tributum pendere coguntur. quæ cuncta in descriptione reditus mei fuse declarabo.

Decimo quinto Aprilis die apparuit nobis insula *Madera*, & portus qui Sanctus dicitur. eo in loco naues separantur inuicem, & suum quæq; cursum sequitur. siquidem altera alteram prævertere studet, quo in Indiam præueniens plus gloriæ auferat, plusque commodi anticipet. vnde fit vt noctu sæpe & tempore minus

remiñus oportuno ſe relinquant inuicem,& ſuam quæque experiatur aleam.

Vicesimo quarto Aprilis die ſublegimus littora regni Guineæ, quod eſt ſub 9. gradu & ad æquatorem vſque pertingit: plurima ibi tonitrua, fulgura, nymbi, pluuiæ, ventorumque procellæ ſubito orientes, ſubito abeuntes, & tanta quidem cum importunitate, vt vela antennaſque ad medium mali, quin ad imũ vſque, idque vel decies vel duodeces vno eodemque die, neceſſe ſit demittere.

Calor eo in loco eſt intenſiſſimus, & aqua dulcis in nauibus tam fœtida, vt bibituri ad eam nares obturare neceſſe habeant: mox vbi æquator à tergo relictus, omnia ſe melius habent: quo propius ad continentem acceditur, eô plus eſt ventorum impetuoſorum, plus pluuiæ, plus tonitruorum & malaciæ. vnde fit, vt naues ſæpe ad menſes duos integros ibi retardentur, donec æquatorem tranſeant, quem vbi tranſierint, ſpirat ventus ille, quem indigenæ Generalem vocant, qui medius eſt inter Eurum & Euroauſtrum: is vix dimidius eſt ventus, vnde carbaſa aſſidue obliquanda in altitudinem ferme promontorij Bonæ ſpei. At enim quoniam verſus Braſiliam in auſtrum vergentes certo in breuia & loca arenoſa, Luſitanis *abrohilos* vocitata, circiterque ſeptuaginta miliaria in mare procurrentia deveniant, & ea ſi nautæ declinare velint ad læuam deflectant neceſſe ſit, ob id naues plærunque Guineæ littora legunt, donec præteruehantur, ſin longius in mare deſcendant, coguntur reuerti in Luſitaniam, ni velint extrema pati: vti proximo elapſo anno. 1 5 8 2. naui noſtræ prætoriæ, cui S. Philippus nomen, euenit, quæ noctu eo delata, in extremum diſcrimen incurrerat, mutata tamen fortuna in melius, ſalua euaſerat, incolumisq; Luſitaniã retroacta appulerat. Eadem nauis vt hoc anno deuitaret eã loca, radit Guineæ littus tam prope, vt propter continuã malaciam aſſiduasq; pluuias, non niſi fluctuando tempus tereret duobus integris menſibus antequam æquatorem ſuperaret, adeo vt duobus menſibus poſt appulſum reliquarum in Indiam demum & ipſa appelleret. Caute ergo omnino nauigandum, ne videlicet littus propius accedendo in malaciam deueniatur. neue longius ab eo diuertendo in breuia incurratur. Atque in hoc omnis Indiam verſus nauigantium ſalus vertitur.

CAPVT IIII.

DIGRESSIO.

DIGREDIENTES *à propoſito, Guineæ regnum perſtringemus, ſi quidem Aphricæ oram potiſſimam legimus, & neceſſario Guineæ regni littora præteruehimur.* CONGO *regnum nunc intactum relinquimus, de quo per totum librum primum Hiſtoriæ noſtræ Orientalis peculiariter actum eſt. Initium itaque ſumentes à generali Aphricæ diuiſione, quid Batauis illic euenerit, quid ve ipſi animaduerterint in iis locis, breuiter adnotabimus. Hinc ad inſtitutam Hiſtoriam reuertemur.*

ARGVMENTVM.

Aphricæ littora circum circa neceſſario legenda ſunt hac illacue Indiam verſus nauigantibus. Vnde peculiaris charta Geographica Aphricam repræſentans huic operi ſubnectitur. Nos vero qui generalem eius nauigationis deſcriptionem tractamus, ſingula quidem ordine proponeremus; niſi alia

alia ab aliis iam ſatis eſſent explicata. Prӕteribimus itaq; taciti hoc loco Inſulas illas Canarias longe famoſiſsimas, caput item Viride, ſiue Heſperidum Inſulas, & Africӕ illa regna maritima, Gualata, Tombro & Melli. inter quӕ Gualata regnum perexiguum eſt, & victualiorum fructuum, plantarumque inops, excepto frumento Turcico, indigenis Milien vocitato, quod tamen parcè ibidem prouenit. regnum Tombro prӕferendum illi magnitudine, populoſitate, fertilitate frumenti, pecorum, lactis, butyri, at ſalis inops. Melli regnum ex illis feraciſsimum eſt frumenti, pecorum & bombacis. Hӕc regna prӕtermittentes rectà in Guineam diuertemur. quod ſane potentiſsimum eſt, & Æthiopibus ſiue Nigritis incolitur.

GVINEA.

QVÆ vt planiora fiant, ſciendum Aphricam à veteribus in quatuor principales partes vniuerſaliter diuidi; in *Barbariam* videlicet ſeu *Mauritaniã*, in *Numidiam*, *Libyam* & *AEthiopiam* ſiue *Nigritarum prouinciam* *AEgyptum* vero & *Abyſsinos*, quibus hodie præeſt *Præto Ioan.* ab Aphrica ſeparant, tamet ſi vtrique Æthiopibus æque annumerandi ſint, quin ipſiſſimi ſint Æthiopes ſacrarum literarum teſtimonio, vnde iure eæ prouinciæ inter principales Aphricæ partes referendæ, quod ipſum Coſmographi & præcipue Aphricæ ſcriptores demonſtrant. *Guineæ* itaque regnum in quo Luſitani hactenus & Galli plurimum negotiati ſunt, quodque hodie etiam à *Batauis* frequentatur, perluſtrantes, illud quidem ad regnum MELLI, & ad flumen vſque latiſſimum illud cui NIGER nomen, pertingit, patet in longitudinem 500. miliaria parua, hoc eſt, centum Germanica, vel circiter. in eo Luſitani habent munitionem *Caſtellum Minere* vocitatam, ſitam ad litus auriferũ. Litus enim vbi auri grumi ſeu arena aurea vehitur, MELEGETE nomine celebratum, eidem regno peculiare eſt. Noſtri vbi hoc anno eò venerunt, primum intra promontorium Palmarum, *Capo de las Palmas* vulgo dictum, & *Capo de tres Puntas* appulerunt: ibi maris profunditas 20. paſſuum fuit ad terram. itaque in naui curſoria adnauigantes, caſas complures, Caſtellum ſupra petram, & plurimos Nigritarum inuenerunt ſimul congregatos, quos globis ſclopetorum propius petentes retrocedere coegerunt. nomen vico erat *Achombene*, prouinciæ *Chianæ* (puto Guinea) Caſtellum illud non ita munitum tenent Luſitani; inde ad teli iactum proſpiciendo duo in mari prominent ſcopuli, inter quos dirigitur via rectà ad Caſtellum, quod velut in arcu ſitum eſt. Diſtat Caſtellum circiter tribus quatuorue milliaribus à *Capo de tres puntas*, nec longe inde montoſa eſt regio & plena ſcopulis, arboribuſque conſita, quarum alia ſedecim, alia ſeptendecim paſſus in ambitu explent ſua craſſitie. ſequitur deinde vicus *Cermentin* nomine, populoſus admodum, nec minus à negociatione frequens. Poſteaquam noſtri hoc in loco linteaminibus pecuniiſque negociati fuerant, ſummo mane nec dum ſole æſtuante ex Euro-

Aphricæ diuiſio.

Ægyptus.

Abexis.

Bataui in Guineam.

Achombane Caſtellum.

Arbores 16. & 17. paſſuum.

austro soluentes, nonnihil in Eurum vela couertunt, verum vltra duos gradus intra biduum non promouerunt, tametsi secundo vento vterentur; causa retardationis est ex fluminis influentia, quod ea parte qua *Cæcias* spirat in mare influit. Quicunque igitur auriferum littus relinquunt nauigaturi ad *Capo de Lopes Gonsales* siue ad *Insulam S. Thomæ*, omnino necesse habent, vt Austrum teneant, sin minus, ad promontorium *Rio de Gabam* propellunt, aut aliò, nisi ventus ferme occidentalis sit, aut ex Septentrione accedat ille, quem *Dorade* vocant siue procellam; impossibile erit aliâs vt iter rectâ conficiant, nec rarô euenit, vt aliqui sex integras septimanas in eo conficiant.

Notandum hic, quod ventus magis magisque Orientalis spiret quo propius ad æquatorem accedatur; æquator vbi à tergo erit ventus paulatim magis Euroauster erit. Notandum & hoc quod S. Thomæ Insula haud longe tum absit, quando pisces illi volantes nautis apparent.

Optima & commodissima est conuersatio cum Guineæ incolis, præcipue cum iis, qui Lusitanorum imperio nondum parent. illi enim abripiunt aduenas vi, & aduentantibus infesti sunt. Regnum per se est satis populosum, indigenæ nullam veri DEI notitiam habent, nec bonos mores aut vlla humanitatis officia norunt, viuunt Ethnico more, colunt idola, nec leges aut statuta tenent: aurum, ebur, auri arena, piper Ægyptiacum, Oriza, triticum, coton, fructusque & plantæ variæ, quarum nostri homines plus quam centenas species, hactenus à nullo vel visas, vel descriptas, inde secum ad nos aduexerunt, ea in copia ibi crescunt. præter enumerata proueniunt ibi fabæ magnæ in siliquis, quarum aliæ ex arboribus pendent ad vlnæ vnius longitudinem, & palmi latitudinem, partim sunt versicolores ex rubro & nigro, quales apud nos sunt Turcicæ, nisi quod maiores sint, partim albæ & rotundæ, quarum singulæ suis siliquis insunt, veluti ciceres. Est illis genus quoque fabarum rubedine corallis comparandum, paruum & rotundum, nigris maculis punctim sparsum, quod & ipsum apud Ægyptios prouenit, quibus *Abrus* vocatur, ea videlicet forma, qua descriptæ sunt per doctissimum *Prosperum Alpinum medicinæ Doctorem, in libro de Ægyptiorum simplicibus edito*. præterea sunt & alia genera, dura & maculosa, idque in aliis punctim, in aliis ductim &c.

Quadrupedia. Volatilia.

Quadrupedia, Volatiliaque gregatim adsunt, præsertim pauones, gallinæ non cicures, psittaci colore cineritio, accipitres, & ex minoribus auiculis quã plurimæ. eæ ex ramis arborum tanto cum artificio nidificant, vt spectantibus miraculo sint, quod illis natura eo fine indulsit, quo à reptilium serpentumq; iniuriis tutæ seruentur. Pisces habent confertim, atque vt vno verbo dicam, omnium rerum ibi est affluentia excepto verbo diuino, cuius luce & saluifica virtute miseri penitus destituuntur.

Pisces.

Putredines.

Feruet aer in illis regionibus, nec nostris hominibus tolerabilis; pluuiæ multum nocent. vnde putredines vermesque in corporibus generantur; in causa est aer calidus & humidus mater putredinis, & fomes variorum morborum, præsertim febrium, dysenteriæ, diarrhœæ. &c.

Littus legentes, insulam cui *Principe* nomen est, prætereunt, subeuntque rectã lineam, cui subiacet S. Thomæ insula, sic denominata, quod in die S. Thomę primum à Lusitanis detecta sit. ea patet in latitudinem circiter 60. milliaria Italica, ambitur 180. orbicularis ferme est, sacchari, Zinziberis victualiorũque omnis generis feracissima. pluuiæ enim rosque matutinus solum fœcundant, satisque incrementa assidue præstant.

Breuia ad Rio de Gabam.

Digressi ex S. Thomæ insula vsi sunt vento qui Euro est proximus ab australi latere. eo delati *Gabam* flumen tenuerunt; antequam ad ostia eius accedatur, ingens arenæ cumulus attollitur, nautæ *Bancam* vocant, nec vltra tres quatuor ue

tuorue passa siue vlnas nauticas, à fundo absunt. eo in loco aqua ob feruentem fluminis marisque concursum horrendum perstrepit. Flumen cuius hic fit mentio vltra duo miliaria in latum patens ad vtranque ripam arboribus consitum est. vbi nostri aduenerunt, nemo hominum illis omnino comparuit. progressi itaque vẽtosque secuti nunc in altum, nunc vadum abierunt. Littus tam in austrũ, quam in Boream excurrit, nec profundũ est, vix duodecim, tredecimue passuum altitudinem inuenias, licet ad sesquimilliare versus summũ mare abfueris, quod si propius accedas, non erunt vltra 4. 5. 6. aut 7. passus. tuto enim accedere datur. aqua est perspicua & pellucida, arena pura & passim strata, vbi ad terram propius accesseris, ventus inde seu aura lenis per noctem spirat, quem nautæ *vento di terra* vocant. Si vlterius proueheris, littus magis magisq, in occidentem porrigitur versus promontorium *Capo di LopeZ Gonzalim*. eô venientes Batavi, & ad dies aliquot subsistentes merces suas cum incolis commutarunt, licet haud magno emolumento, ob Gallorum paulo ante discentium inde corruptelas: nostri tamen quibus necessario illic hærendum fuit, ne nihil agerent, mores ritusque gentis interim studiose annotauerunt.

Capo de Lopez Gonzalim.

Religio Guinen.

Nulla omnino fundamenta veræ religionis habent, alij solem & Lunam, alij delectas arbores, vel ipsam terram matrem quæ victum ipsis suppeditet, cęci deuenerantur: ducentes piaculare supra terram expuere. per publicum non incedunt nisi manu teneant cultrum longum, latum & euaginatum. tum viri tum fœminæ variis modis per corpora pũctim incisi sunt, ad id cultros habent, quibus cutim concidant, scissuras vnguento colorato perlinunt. Poculum labris bibituri non admouent, ni partim prius infusæ potionis tanquã prælibantes in terram effundant. prandentes nihil bibunt, prandio peracto haustum aquæ vel vini ex palmarum fructu expressi, siue aquæ mulsæ copiose hauriunt. Mane se inuicem, aut summum ipsorum Præfectum salutaturi, in obseruantiæ signum procidunt in genua, planguntque manibus, nec desurgunt, priusquã & ipse præfectus suis manibus applaudat: solent aliâs quoque manibus applaudere sibi obuiãtes inuicem additis verbis hisce: *Fuio, Fuio, Fuio*, quod tantundem sonat ac si dicant, vade in nomine domini, & iter tuum feliciter confice: furta in peregrinos magis, quam in suos exercent. Mulieres valde sunt incontinentes & luxuriosæ admodum, maxime vero si cum peregrinis ipsis res sit. nec probro est apud illos scortari. Aliqui virorum à collo suspendunt pixides, haud absimiles eleemosynariis, eas inspiciendi potestatem nulli omnino faciunt. Incedunt aperto capite tum viri tum feminæ. Caput varie radunt, & crines mire innectunt, breuiores capillos tamen habent omnes. Sunt qui pileolos gestent tortos ex palmarum corticibus: aliis cristas ferramentis minusculis firmiter innexas crinibus habent in vertice. Sunt qui summa labra, quique nares perforent, ex quibus lignorum frustula dependent magnitudine Ioachimici, & pediculos habẽtia, quos foramini hamatos inserunt, inserta sub naribus prominent. Sũt qui annulos ꝑ medios nares & summa labra transmittant, quique cornua minuta dentesue ex foraminibus illis suspẽdant, ornatus videlicet & virtutis, si diis placet, insignia. Vidimus etiam foramina per inferiora ipsorum labia facta, in quæ linguam inserentes stultorum more ludos faciant. plerique virorum ac mulierum annulos ex auriculis demissos gerunt, pondere vnciarum ferme quatuor. at alij lignum quinque vel sex digitorum longitudine inde appendent.

Vestimenta Guinen.

Vestimenta alia non habent nisi stragulum seu velamentum pubi modice obtensum ex arborum corticibus contextum, colore rubeum; supra velamen istud affixa sunt tergora pellesue simiorum, cercopithecorum aliarumque ferarum, in medio addita sunt crepundia, siue tintinnabulum, non alio habitu

atque apud nos pecora pecudesque aguntur. Corpus totum pingunt rubrica ex ligno facta, pulcherrime sane colorata, magisque lucidâ quam ea, quæ ex ligno Brasilico præparatur. Oculos varie pingunt alterum rubro, alterum albo flauoue colore tingentes; nec rarum ipsis aut insolens quiddam est, si lineam vnam atque alteram coloratam per faciem duxerint.

Maxima pars lumbos succingit zona ex vrorum tergoribus secta, & villis adhuc rigente. zona ea ad palmi spacium fathiscit in anteriore parte: ab vtraque extremitate eius dependet portiuncula residua, & qua parte ea fathiscit, firmiter & stricte alio quodam ligamento connectitur. Supra ventrem gerunt curtum quidem, sed latum cultrum ferreum, qui & ipse ferrea vagina indutus est. Zonarum alię sunt vnius palmi latitudine, aliæ duorũ, aliæ trium, aliæ etiã multo latiores. Præter modo dictos cultros sunt illis alii in vsu, tres quatuorue cuspides habentes, iactui accommodi, & admodum terribiles. Mulierum aliæ singulos, aliæ binos habent annulos satis crassos ex ferro, cupro, stannoue crura ambientes, non raro tres aut quatuor libras pendentes, tamque arcte & succincte cruribus circũdatos, vt vix animaduertas, quo modo pedes illis inseruierint: similes quoque annulos virorum aliqui in cruribus habent, apud quos tamen id rarius est. Mulieres vtuntur subligaribus siue supparis ex iuncis contortis. Sed de habitu, deque ornatu ipsorum nimis deformi & inepto hęc plus quam satis sufficiant.

In re familiari æque sordidi, viuunt more plane beluino. dormiunt prostrati super terram in tapetibus ex iunco textis, victitant radicibus crassis, albis, bonique saporis. *Iniamos* eas vocitare solent, haud absimiles castaneis, siue Hispanorum *Bacatis* sunt, elixas assasque eas comedunt; vescuntur præterea aliis etiam radicibus, adhæc arundinibus Sacchari, & fructu *Bananas*, quem nos ficus Indicas sequenti libro nominabimus. is oblongus est ad formam Cucumeris, gustu suauis & sapore citri. comedunt pisces carnesque in canalibus mixtim appositas. canali seu aqualiculo in medio posito prandentes gregatim circumfunduntur more pecorum. inter comedendum nihil omnino bibunt, sumptis dapibus largiter se proluunt. Duces siue præfecti ipsorum separatim plerunque accumbunt ad canalem stanneum, reliqui ad fictilem cõspurcatumque aqualiculum, super extensum stragulum sedentes. Mulierum cura hæc est, vt aquam & fructus coquendos in culinam perferant.

Iniamos.
Bananas.

Aluum nullo modo supra terræ planitiem exonerant, quod si fiat, piaculum illis erit. Vt tamẽ naturæ honeste consulant, foueas in id effodiunt. Sunt ex viris aliqui qui stragula conficiant, quibus confectis negotiationes exercent, & alia necessaria permutatione facta sibi comparant. Baculos pro armis habent, nec cultris vllis vtuntur. Hostes vero propulsuri, quęcunque tela minacissima vsurpant. Instructiores sunt ab armis, atque ij qui littus auriferum accolunt. sunt. n. illis arcus quibus hastas torqueant, sunt sagittæ, vmbones, clypeiue oblongi ex arborum corticibus & eiusmodi rebus cõtexti, sunt tympana in summo late patentia, in imo angustiora; tubas ex ebore confectas inflant. Vbi nostri ad insulam quandam in flumine *Gabam* appulissent, deducebantur à Nigritta dentato, ad eum quo supra dixi modum, per labium, latumque cultrum manu præferente, corpore toto punctim conciso. eo ducente casam Nigrittis plenam ingressi sunt, ingressis stragulum supra terram extẽditur, in quod procumberent, dumque considunt securi, adest quidam qui manu eos in humerum pulsaret improuiso, & dato signo illos suspicere admoneret additis hisce voculis, *Meni Gabam.* nostri rerum ignari, & quid suspicarentur dubij tollunt vultus sursum, ecce conspiciunt hominem sedentem immote in alto, & loco aliquot gradibus editiore, idolo similem, circumquaque osseis catenulis tor-

Aluum supra terram exonerare piaculum.

qua-

quatum, forma horēda, ad pedes eius femina nigerrima manu caudas aliquot Elephantorum tenens prona iacebat, caudis vtebatur in eum vsum, vt ventum illi faceret muscasque abigeret. His indiciis agnouerunt eum Insulæ dominum, vnde in genua procumbentes eum more gentis venerati sunt, plauserūtque manibus donec & ipse dominus manuum suarum applausu illis innueret, quo facto consurgunt, dominus vero stragula formosissima ex sparto contexta, tamquā regia quædam dona ipsis gratiose obfert. Reliqui nostrorum qui in cursoria naui præcesserant, ad duo milliaria versus caput fluminis abinde egressi sunt, vbi vicus amplissimus in proximo erat. aderātibi plus quam mille Nigrittæ vtriusque sexus, partim hastas partim cultros & eiusmodi arma gerentes nostris acclamantes *Io, Io.* simulque manibus applaudentes: quo facto Nigritta quidā quem nostri in nauem suam susceperant, antequam eo aduentaret, vti videlicet dux viæ illis foret, in vndam insiliit & ad terram tranauit. Vbi terram contigit, confertim omnes præsertim feminæ collum eius circumfusis brahiis complecti, lætum pæana canere, totumque euulso gramine conspergere, adeo vt processus ipsi præcluderetur. tantusque præ lætitia tumultus esset, vt nullius vox exaudiretur, nec desinebant ab incepto, quandiu inter ipsos aderat ille, quem excipiebant, cantantes, saltantes iubilantesque perpetuo tenore. dum hæc fierent, procedit quidam ex vico manu baculum prælongum ferens; quemadmodum solent qui mandata ferunt: is tumultuantibus edicit vt absistant, repellitque eos à flumine, sed præ multitudine nihil aut parum proficit. Interea Nigritta qui deduxerat nos, ad nauem nostram in scapha redit, comitatus aliis duobus, simulque feminâ admodum vetula & annosa, vna videlicet ex vxoribus Nigrittarū regulorum, ea per medium corpus viridi colore erat picta, ramusculosque virides duos gerebat manibus. Innuebant nobis vtraque manu. ambo autem qui aduenerant viri plaudebant manibus in signum pacis & amicitiæ more gentis. Nostri duos in scapha mittunt ad circumstantes, qui incredibili lætitia ob illorum aduētum exultātes iubilaque tollentes gregatim circum eos fundebantur. procedentes vero ad præfectū sequebatur ferme media circumstantium multitudo, prę cæteris stipabāt eos feminę exultātes haud aliter ac si insanirent. maxima pars latos cultros in manibus ferens eos tanto cum fragore collidebant, vt spectantibus formidinē incuterent; erant autē eo insolentiores, quod antea nullos omnino homines albos, qui cum ipsis negociati fuissent, conspexerint prius quidem Lusitani alueum subuecti ad 10. milliaria inde abfuerant, sed vltra non processerāt, quod nauis ipsorum longius abesset. Flumen illud ad vicum *Cermentin* patet in latū milliare integrum. ex aduerso *Cermentini* est alius pagus. Dum è regione istius pagi in anchoris stabant, tormentum disploserunt. ripam tenentes eo audito cōsternati retroq; ruentes exanimati sunt, redierunt tamen paulo post. Prefectus palatium habet perticis erectis constructum, quo cum nostri aduenissent, ad horam mediam ante ostia operiri eum egressurum cogebantur. ibi dum morabundi astarent, circumfusi continua exultatione illis applaudunt accinuntque indesinenter. Regulo progresso adest Nigritta famulus, qui tria stragula duasque sellas maiorem alteram, alteramque minorem ministraret. Regulus per vniuersum corpus perque totam faciem creta aliaue materia alba erat dealbatus, & aderat ipsi famulus, qui colorem eiusmodi album in sacculo præsto haberet. Caput integebatur mitra pellicea alba, plumis cristisque circumquaque erectis, gerebatque per brachia, perque crura catenam osseam plus quā centuplam. Sedenti in solio astabat femina ætate matura, quę nonnihil albæ istius materiæ ipsi porrigeret. eâ acceptâ manus veluti abluebat, reliquum in astantes dispergit, quo facto manum vtranque sursum eleuat. Similiter

Batavi in Rio de Gabam.

Reguli ornatus.

liter porrigebatur etiam vxori eius de eadem materia. hiſce ritibus peractis, mulier cantando & ſaltando domum egreditur, quam reliquæ mulieres pariter omnes iiſdem moribus ſubſequuntur. Regulus deinde præfatis quibuſdã verbis ad ſe vocat Nigrittam, qui nos deduxerat, cui dicit aduentum noſtrorum ipſi pergratum eſſe, applauditque manibus acclamando *Fuio, Fuio*, more ipſis vſitato: aliis deinde interiectis, iubet vt ferramenta afferant. ſatis dentiũ in promptu eſſe, ſui mandata exequuntur, & facta eſt permutatio cum dentibus mercibuſque.

Flumen, cuius ſupra mẽtio facta, eſt latiſſimum, crocodilis & equis marinis abundans hinc inde brachia varie protendens, inter Eurum Notumque medium defluit, deſcendẽdo à Cermentin, noſtris ad aliquot horas in nocte ſinus obliquandi erant, bis ſubſidebant in breuibus, pergẽtes nihilominus tandem in Inſulam quæ ad oſtia fluminis eius eminet, ſalui peruenerunt. Terra humilis eſt, plena arboribus, riuulis interfuſis paſſim in inſulas ſciſſa. Nomẽ dictæ inſulæ *Cata combo* eſt. dum noſtri ad eam in anchoris ſtabant, venerunt 18. Nigritæ ſcapha vecti ex Inſula, tympanum ex cauato trunco paratũ pulſantes, qui vbi nauem noſtram tenuerunt, quidam ipſorum in nauem noſtram conſcenderunt, quos inter vnus erat toto corpore, totaque facie dealbatus, manu ramũ viridem prætendens, cui tintinnabulum adhærebat, & tela quædam mitræ magnitudine, ad hæc ferebat manu albam eam materiam, de qua paulo ante dixi, ſpargens eam per nauem, tintinnabulumque mouendo incedens, ad orationes noſtrorum ſingulis vicibus, vt & ad reſponſa ipſorum nolam quatiens, ac ſi eo modo benediceret, aut conſecratio fieret. quibus peractis conſedit in terram, proferensque verba quædam tanto conatu, atque horrore ac ſi fanaticus eſſet aut paroxyſmo corriperetur; ſub id porrigebatur illi patera ſpumans & capaciſſima vini *de Palma*, qua ſe ordine propinando ad horam mediam largiter proluebant, hinc in ſcapham ſuam reuerſi ad terram reuecti ſunt, innuẽtes nobis vt ſimul eô veniremus negotiaturi. nos morem illis gerentes, merceſque noſtras ferreas apportantes in Reguli palatium recepti ſumus. poſt pagum paſſim perambulantes paruum tugurium vix trium pedum altitudine offendimus, tectum quod ſupra erat, ex parte lateris fathiſcebat, ſub tecto patibulum erat non ita magnum, propter quod caudex cui craniũ infantis impoſitum, cranium in vna oculorum cauitate os album inſertum oſtentabat, circa caudicem oſſa varia ſparſim iacta, inter cætera vero caput piſcis, cui *Priſtis* nomen, ſine dentibus. quæſiti quid is apparatus ſibi vellet, reſponderunt hominis ſepulchrum eſſe demortui. Inde ad alium pagum pergentes offenderunt virorum multitudinem ad tugurij oſtia conſidentium, inter quos primarij eius loci conſpiciebantur. Tugurium ipſum cantibus omnis ætatis ſexuſque hominum ita perſtrepebat, vt prætereuntibus ſtupori eſſet; quæſiti & iſti, quid ſibi vellet tantus fremitus, ſimiliter reſponderunt funus eſſe præſto. Mulieres parturientes nihil verecundantur, accurrit ad enitentes quicunque caſam præterit, patent fores tum viris tum pueris haud ſecus ac ipſis feminis. Noſtri ſatis mirari non poterant infantes vtriuſque ſexus pariter circumcidi apud eas gentes, cum tamen nec veteris, nec noui teſtamenti, legẽ vlla ex parte norint.

Catacombo Inſula.

Roſtrum Priſtis.

Funus.

Circumciſio.

Terra per ſe fœcunda eſt, feraxque omnis generis fructuum nobis peregrinorum, abundat quadrupedibus, volatilibuſque. Sunt ibi arbores ex quarum ramis ſingulis pluſquam centeni volucrum nidi dependeant, iique tam mirifice intexti, vt intuẽtibus recreationi ſint. demittuntur ex paucis quibuſdã culmis deorſum verſus ſatis humiliter, culmi ſeu quęcunq; alia eiuſmodi materia, firmiter ad ramos annexi ſunt, eoq; modo natura illis ideo proſpexit, neſerpentũ iniuriis pulli earum pereant. Et hactenus quidem regnum Guineæ proſecuti ſumus, nunc inſtitutum iter in Indiam deinceps perficiemus.

Centum auium nidi ex vno ramo pendentes.

CAP.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Continuatio susceptæ Nauigationis in Indiam Orientalem.

M*Aij die decimoquinto* profecti ad quinquaginta milliaria cis æquatorem, nauis cursoria Gallica in nos irruit. nostri quotquot in naui erant plerique valetudine aduersa fracti turbabantur valde, vti solet fieri, quando ad zonam eam torridam deuentum, & plerique novitij marisque impatientes in nauibus sunt. displodebamus tamen aliquot tormenta in aduersos. at illi effugientes nobisque illudentes subito euanescebant cum bona nauis nostræ gratia.

Sub vesperam eiusdem diei venit in conspectum nostrũ nauis magna, quam ex nostris vnam rebamur, nec ea fefellit nos, siquidem erat *S. Franciscus* quod ex colloquio habito intelligebamus.

Maij die vicesimosexto transiuimus æquatorẽ, qui per mediam S. Thomæ Insulam recta transit, non ita procul à Guinea, iamque polum antarcticum respicientes, arcticum ex conspectu dimisimus. Sol meridianus iam Septentrionalis erat, ventusque Generalis porro perpetuus.

Maij die vicesimonono in ipso Pẽtecostes festo, nautę more suo Imperatorẽ fictũ elegerunt, officiaq; per naues immutarũt. Inde genio ꝑ triduũ & vltra strenue indulgentes animos libere explicuerũt. at dum iam omnia essent lętitia plena, oriũtur subito tumultus maximi. volant promiscue scamna, mensę & quęcunque erãt apposita: stant enses stricti plusquam cẽtum, ipse Capitaneus ꝓculcatur pedibus, & ni Archiepiscopus è conclaui suo in mediũ procedens precibus blanditiisque animos mitigasset, non modo complures ferro cecidissent, sed & ipsa nauis in extremum adducta esset periculum. Archiepiscopus sub excommunicationis pœna mandabat, vt gladios conderent, vtque pugiones & arma in conclaue suum deponerent, cui mandato cum parerent omnes sopiti sunt motus & quieuerunt animi. Autores turbarum in compedes ad tempus dati factum expiarunt.

Iunij die duodecimo præternauigauimus breuia quæ à Brasiliensi litore eo vsque procurrunt, iamque securi periculi exultabamus, certi nauigationis prosperæ, nec metuentes porro nos retro in Lusitaniam reiici posse. Generalis ille ventus comitabatur nos, donec præternauigaremus prouinciam *Rio de Plata*; inde secundo vento vtebamur vsque ad caput bonæ spei.

Iunij die 20. nauis S. Franciscus, quæ hactenus nobis comes ibat, rursus è conspectu nostro aufugit.

Iulij die vndecimo gubernator nauis nostræ poli altitudinem explorabat. is subducto calculo deprehendit nos ad 50. milliaria à promontorio Bonæ spei adhuc abesse. ob id rogabatur ab Archiepiscopo, vt terram versus cursum teneret, secus littus nauigaret, quo procurrentem angulũ eum recte intueri posset: cœlum autem erat admodum inconstans. interea dum ad horam vnam atque alteram terræ adnauigaret, apparuit nobis promontorium quidem manifeste, & vix ad duo milliaria aberamus, nec tamen ob cœli caliginem potiorem eius partẽ contemplari poteramus: vnde in periculo eramus grauissimo. secus enim cursus nobis institutus fuerat. pulsis nubibus videmus terram *Capo falso* dictã, & nil nisi breuia atq; arenæ cumulos (*Bancam* nautæ vocant & *Parcel*) præsto adesse. distat iste locus à capite bonæ spei versus Mossambicam ad milliaria

liaria quindecim Caput bonæ ſpei ſub 35. gradu auſtrali eſt. at vbi Caput falſum tenebamus, cœlum ſerenum erat totum, & malacia per mare continua ad horas ſex, vnde piſcationi indulgentes ab anteriore parte, qua banca erat, plurimos ſane piſces capiebamus, mare ibi in profundum circiter 10. aut 12. vlnas nauticas ſiue paſſus patebat. piſces eius oræ optimi ſaporis ſunt, Rhenenſibus non inferiores nec abſimiles, Luſitani *Paſcatas* vocant.

Iulij die viceſimo denuo in nauem noſtram, cui S. Franciſcus nomen, incurrimus, colloquimurque inuicem, ea nobiſcum vehebatur ad 24. eiuſdem menſis vſque. tunc denuo è conſpectu noſtro effugit, nos aduerſantibus ventis vela demittimus, & biduum integrum fluctuando tempus terebamus.

Conſcenderamus iam in altum Ferræ *Donatal*, quæ incipit ſub 32. gradu, finiturque ſub triceſimo, à promontorio Bonæ ſpei 150. milliaribus diſſita. Hoc in loco conſtituti, conuocabantur in vnum quotquot naualibus officiis præerant, inſtituebaturque deliberatio, vtrum conſultius eſſet inter continentem atque inſulam S. Laurentij curſum medium tenere, ſiue inſulam circuire nauibus. Si curſus inter vtramque medius inſtituitur, recta ad Moſſambicam & inde ad Goam vſque naues deferuntur. Sin inſulæ oram foris ambiuerint, Goam non tenebunt, quod curſus nimis deorſum vergat, nec flumen iſtic in mare cum impetu prouolutum aſcenſum permittat, & obid ad Cochinum regnum centum milliaribus inferius magis ſitum propellere neceſſe habent. Ad hæc ſi naues ſerius Laurentij inſulam circumuehantur, ægre Moſſambicam propter continuam malaciam, contingunt, demumque minus tempeſtiue Goam appellũt. Si qui tamen in menſe Iulio angulum eum circuierint, ſatis feliciter Moſſambicam conſequũtur. ſatis.n. tempeſtiue adſunt, vt aquam dulcem hauriant & ad dies aliquot reſpirẽt. Qui vero caput dictum obierint, demum in Auguſto menſe, illi poſt feſtum veniunt, & vt ab extra S. Laurentij oram legentes Cauchinum petant neceſſatio coguntur, ſi modo rebus ſuis conſultum velint. Ad hæc non ſine maximis incommoditatibus Cauchinum nauigant. Quotquot enim in naui fuerint, infirmantur plerumq; omnes, crura intumeſcunt, generantur putredines, Scarbutus & morbi conſimiles.

Iulij die triceſimo conſcendimus in altitudinem *Capo das correntes* ad 130. milliaria à Terra *Donatal* diſtantem. eſt enim ſub 24. gradu Auſtrali, vbi naues curſum inter Inſulam terramque medium inchoant.

ANNOTATIO.

S. Laurentij Inſula.

INſula S. Laurentij à Marco Paulo Magaſcar dicta, à Theueto Madagaſcar, maxima eſt omnium Orientalium, adeo vt Caſtiliæ regnum ſiue Portugalliam magnitudine ſuperet, ſita ad vlteriorem Africæ oram, occupat longitudine ſua, iuxta Theueti opinionem, gradus ſeptuaginta duos, latitudine vero vndecim & dimidium. iuxta quorũdam placita ambitur ter mille milliaribus Italicis, iuxta aliorum vero quatermille. Aer ſalubris exiſtimatur, adeo vt populoſior eſt. viuunt autem ſecundum Mahumeti traditiones. Scribit Marcus Paulus quatuor Seniores eſſe, qui per Inſulam dominentur, rerumq; ſummam adminiſtrent. Inſula feraciſſima eſt ferarum & alti-

lium, adhæc volatilium generosiorum abundās, de quibus Theuetus multa fabulosa tradit, quæ nec fidem merentur, nec digna sunt relatu. Sūt ibi Elephantes, & alia animalia varia cornu vnicum in fronte gerentia, inter quæ duo genera Asinorum Indicorum, vnum vngulas continuas nec bifidas aut in vngues sectas habēs, & alterum Orix vocitatū vngulis bifidis. Sunt ibi serpentes, sunt lacertæ in magna copia. Lignū Sandali plenis syluis, arbustis per ingētia iugera ibi crescit, adeo vt ob vberrimū prouentum plane vilescat. Adhæc ambra preciosissima in vicino mari redundat. Oriza, triticū, mala aurea, limones, Citri, cucurbitæ tantæ ventrositatis, vt vlnis viri alicuius vix includi possint, colore rubro, flaui, albi & saporis longe gratioris atque nostrates, vbertim ibi proueniunt. Zinziber crescit apud illos in copia, quod recens ab indigenis comeditur. Melle arundinibusq; Sacchari abundant quidem, sed vsum eorum ignorant. Habent Crocum & herbas medicas plurimas, nuces Indicas, qui fructus palmarum est. Habent argentum, habent flumina amœnissima, fontes scaturiginesque & portus oportunos, quos tum Saraceni tum Æthiopes mercibus suis assidue frequentant. habent telam auream, sericamq;, & linteamina ex gossipio, tum eiusmodi alia quam plurima.

INSVLA S. Laurentij vergit ad Mossambicam, separatim à continente posita distansque à capite *das Correntes* 120. milliaribus, longitudine sua occupat 220. milliaria, vtrumque polum versus, latitudine 70. milliaria patet, incipit circa primum minutum promontorij ad 26. gradum: porrigiturque in Septentrionē ad vndecimum gradum. habet homines colore nigros, quales sunt in Mossambica, qui currūt nudi, capillos verticis minus crispos quam Mossambicenses nutriunt. Lusitani nihil illic magnopere negociantur. merces.n. quibus id fiat, non adsunt. sciendum tamen, Insulæ huius commoditates nondum penitus innotuisse.

Kl. Augusti, breuia illa Indię, quæ nautæ *os Baxos de India* vocant, pręteruecti sumus. distant ea 30. milliaribus à *Capo das Correntes*. sunt in medio maris inter Insulam S. Laurentij & terram continentem. absunt enim 50. milliaria ab Insulæ ora, & 70. à continente. incipiunt circa gradum 32. & minuta 30. desinuntque sub initio 21. gradus, quo in loco caute nauigantibus attendendum, quod periculosissima sint multisque exitio fuerint. & superioribus quidem annis, anno nimirum 1585. nauis Lusitanica S. Iacobi titulo prætoria fuę classis, ibidem periit. erat autē ea nauis quæ prima nostra nauigatione Olyssipone nobiscum soluit, locumque vice prætoriæ nostræ classis obibat. quod suo loco plenius exequemur.

Quarto Augusti occurrit Mossambica 90. milliaribus à dictis breuibus dissita

 sub 15.

ſub 15.gradu auſtrali.Poſtero die rectâ Moſſambicam verſus contendimus.vix appulceramus cum nauis S. Iacobi titulo ſimul in portum ſubit, quæ poſtquã prope *Maderam* à nobis abſceſſerat, prius in conſpectum noſtrum non venit. Aderant ibi ante nos aliæ quoque duæ naues è claſſe noſtra, pridie appulſæ. S. Laurentius & S. Franciſcus illis nomina erant. Offendebamus quoque *Gallionem*, quæ nauis eſt ſtato tempore curſum ſuum in Malaccam tenens, quæ plærunque vno menſe ante reliquas naues Indiam petentes, è Luſitania ſoluit, ſiquidem vlterius illi pergendum eſt. quod ſi inter nauigandum retardatur cõmeatuſque deficit, neceſſario Moſſambicæ appellit, ſin nauigatio illi proſpera erit, circuit Inſulam S Laurentij, relinquẽs Moſſambicam. Congregatis quatuor iam nauibus noſtris ſola aberat Prætoria S. Philippus, quæ plus æquo ad Guineæ oram deuitando arenam Braſilienſem, quam *Abroillios* vocant, diuerſa acceſſerat, nec ob continuam malaciam æquatorem tranſire expedite poterat. Vnde ſero admodum & vento impetuoſiſſimo vix ægre promontorium Bonę ſpei circumuecta, cogebatur ex prędictis cauſis S. Laurentij Inſulam circuire. Menſes duo fere abierant poſt noſtrum ad Goam appulſum, antequam ea Cochino regno adnauigaret, plurima perpeſſa incommoda, morbiſque variis conflictata, vtpote crurum tumoribus, Scarbuto, & ſimilibus.

CAPVT VI.

ARGVMENTVM.

Moſſambiquæ Inſulæ ſub 15 gradu Auſtrali ſitæ deſcriptio, quæ ad litus Melindæ alio nomine Abexis dictum hodieque preſbytero Ioanni parens, eminet.

ANNOTATIO DOCT. Paludani.

Moſſambiqua ciuitatis nomẽ eſt, quæ in Praſſio Inſula ad litus Melindæ viſitur, portum habens non ita ſane magnũ, ſed ſecurum admodum & nauigantibus peroportunum: ad dextram promontorium verſus, auri fodinæ ſunt, quas Soffola dicunt, ad ſiniſtram celebris illa ciuitas Guiloa cõſurgit. Ea licet ſterile ſolum habeat, & aërem minus ſalubrem, nihilominus tamen populoſa eſt propter loci commoditatem: olim eam incoluerunt Mahometani, qui ſub imperio Quiloenſis Tyranni fuerant. is præfectos ſeu Gubernatores Arabibus Sequen dictos ipſis conſtituebat.

M*oſſambica* Inſula eſt non ita magna, ad dimidium milliare à continente diſtans, ſita velut in arcu quodam, ita vt alterum continentis cornu longius in mare porrigatur, quam ipſa Inſula.

Ad frontiſpicium inſulæ ſunt aliæ duæ paruæ nominibus S. Georgij, & S. Iacobi. eæ extremitatibus ſuis reſpondent continenti. inter continentem & vtranque dictam Inſulam


Eigentliche ſuhrbildung
der Inſel Sampt dem
Schloſs MOSAMBIQVE
So da liget am geſtaden
MELINDE mit dem
gelegenheit
Terra firma


Cabaceira
Terra firma
Fortaresa velha
S. Gabriel
Fortaresa
da bolwarte
S. Tiaguo


Insulæ et arcis Mocam bique deschriptio ad fines Melinde sitæ ebano puriß, auro et ambare odorate affluentis hinc magnus seruorum numerus in Indiam abducitur. Hinschoten invent.
Eigentliche fuhrbildung der Insel Sampt dem Schloss MOSAMBIQVE So da liget am gestaden MELINDE mit dem gelegenheit
Terra firma
S.to Doms
S.t Jorgie


Cabaceira
Terra firma
A Fortaresa velha
S. Gabriel
Fortaresa
S. Tiaguo

Insulam rectâ nauigatur ad Mossambicã : Insulæ ad austrum sinistrosum, cõtinens ad boream dextrosum relinquitur. qua via naues ad paruum milliare vsque cursum rectâ in Mossambicam tenent, sine bolidis iactu. satis enim profundum mare est & arena littoris manifeste interlucet, vnde nullum est periculum. Naues tam prope ad ipsam Insulam & castrum quod in frontispicio Insulę visitur, tuto accedunt, vt lapidis iactu ad terram, vel vlterius pertingere possint; statio earum est inter ipsas Insulas & continentem media. distant Insulæ à terra ad dimidium milliare, nauesque omnes simul in vno eodemque canali congregantur. Circuitur Mossambica quatuor stadiis. plana rotundaq; est, & circũcirca habet aggerẽ ex arena pura & alba. Tota fere Insula palmis cõsita est; sunt ibi mala aurea, limones, citri, *Bananas*. reliqui fructus arborei familiares aliâs per Indiam, hic desiderãtur. Frumentum, Oriza, reliquaq; legumina atque victualia, item telæ lineæ & eiusmodi, ex India petenda sunt. Armenta, Oues, Capræ, Porci, Gallinæ in copia & precio vilissimo ibi parantur. Sunt ibi oues quæ vna quarta parte abundant. integram enim ouem si quadrifide secaueris præcise quinque partibus plenarie constabit. cauda siquidem quam habent, tam lata, crassa, & pinguis est, vt ob molẽ reliquis par sit, ob pinguedinem vero non sit esui. Sunt ibi Gallinæ, quarum pennę, carnes & ossa adeo nigricant, vt coctæ in atramento elixæ putentur, sapidissimę & reliquis longe meliores sunt : reperiuntur in India consimiles quidem, at non in tanta copia. Suilla & porcina caro præstantissima omniumque saluberrima ibi habetur. est enim saporis elegantissimi, adeo vt ipsa experientia teste carnes quascunque alias plurimum antecellat: quin si ægrotis carnes omnino interdictæ fuerint, sola tamen porcina ob bonitatem excipitur. Nulla penitus aqua dulcis adest, quæ potui sit, petenda est in continente ex loco à Lusitanis *Gabaseta* vocitato, & reponenda in vasis lapideis ex India aduectis.

Oues quinque partibus quadrifidis.

Gallinæ intus & extrinsecus nigræ.

Porcina caro saluberrima.

NOTA.

Est ibi Castellum munitissimum & valde magnificum à Lusitanis erectum & perfectum intra decennium aut eo amplius, rectâ ex opposito insularum S. Georgii & Iacobi: ad quod naues necessario appellunt. est vnum ex præcipuis & munitissimis ædificiis quotquot sunt in India. Nullum fere ibi præsidium, nulla munitio nec tormenta aliusue apparatus adest: solus Capitaneus cum suo famulitio incolit. Si tamen necessitas postulet, obstricti sunt Capitaneo Lusitani coniugati, quotquot in ea Insula habitant numero quadraginta aut quinquaginta ad summum, qui omnes in propugnationem castri iurarunt. nec enim aliud propugnaculum præter vnicum hocce castrum per totam Insulam erectum est, quo ea defendatur, cum locus alioquin sit omnibus patens, & aperta planitie circundata. Intra ipsum castellum cisternæ passim factæ & plenæ aquæ dulcis sunt, quæ integro anno sufficiant si ita necessitas ferat : tametsi omnes satis secure viuant, tum Capitaneus tum reliqui officiati, tum ipsi etiam incolæ, hoc vnice curantes, vt auri aceruos congerant. præter 50. vxoratos illos Lusitanos & Mesticos *(dicuntur autem Mestici, quicunque ex parentibus Lusitanis in India nati & educati sunt, sonat vocabulum idem quod semigenus vel participium, annumerantur Lusitanis reliquis.)* habet insula trecenta quadringentaue tuguria indigenarum propria. Indigenæ sunt colore nigerrimi, similes iis qui *Gorgonas Insulas*, qui *S. Thomæ*, quiue reliquam Æthiopiam incolunt, parent Lusitanis, & partim legem Mahometanam obseruant, ij videlicet, qui antequam Lusitani insulam tenerent, cum Æthiopibus ad mare rubrum, cumque Mahumetanis commercium habentes religioni Turcicæ nomina sua dederunt, quales in locis vicinis quamplures inuenias, vtpote quotquot loca maritima versus mare rubrum tenent: quotquot vero à Mossambica versus promontorium Bonæ spei habitant, ij nihil hactenus cum Mossambicensibus

Mestici qui.

habuerũt cõſuetudinis. ſunt enim homines feri & ſylueſtres Nigrittæ, veniẽtes more beluino, abſq; vlla noticia veri DEI: partim vero ſunt Chriſtiani in Moſſambica, partim etiã Pythagorici, currũt nudi omnes. ſoli mares ad pręputium habent pannum admodum exiguum religatum, mulieres à media mamillarum parte ad media femora vſque integuntur tela bombacina gryſea, vti patet in adumbratione, quam in tabula ſuo loco ad calcem annexa præſentabimus. atque hæc de illis duntaxat intelligenda ſunt, qui in Moſſambica Luſitanis permixti habitant, quicunque in continente ſunt, carent omni integumento, quin ipſa etiam pudenda aut raro aut nunquam obuelant.

Luſitani qui in Moſſambica ſunt negociantur cum Nigrittis in continente degentibus, locis vicinis, vtpote *Senæ, Macuvvæ, Soffolæ, Cuamæ, &c.* Quotquot inter ſe linguis & moribus maxime differunt, ij continua bella gerunt vel invicem vel cum vicinis, capiunt ſeſe abripiuntque hinc inde, & raptos vendunt. Sunt ex iis quidam qui humana carne veſcantur, quales Macuani & quidam alij. Victitant plærique ex venatu & Elephantorum carnibus, & hæc eſt cauſa cur ebur in tanta copia ad nos mittant. Nigrittæ & quicunq; per Æthiopiam viuunt, Regulos ſuos vicatim habent, eſtque cuique pro genio ſuus regulus ex eodem ipſorum ſanguine procreatus, inueniasque tot regulos, quot pagos quotue familias numeraueris, quin ipſæ familię linguis etiam, ceremoniiſque & ritibus differunt, & vicinis ſuis aperto marte bellum indicunt. Nullo modo illis fidendum, ſunt enim perfidiſſimi. abiit iam quinquennium ex quo Luſitani ex Moſſambica ſe continenti crederent exercerentque indies ſua commercia inuicem cum iis, freti pace nec quicquam ſiniſtri ſuſpicantes, qui cum eſſent ſecuriſſimi, Nigrittæ continentis improuiſo aderant atque impetu facto in eos ad vnum omnes obtruncant.

Forma politiæ qua Luſitani Inſulam adminiſtrãt, ad eum ſe habet modum: quouis triennio Capitaneum, qui regia negocia exequatur, permutant alio, tum quicunque reliqua officia obeunt, & ipſi prouiſione facta ex regis Luſitani gratia ſingulis trienniis ſibi ſuccedunt. Si qui honeſtiores in regia claſſe, quæ per Indiæ oras alitur, ſtipendia fecerunt, ij pro cuiuſque conditione & meritis officia illa in recompenſam accipiunt, ex quibus ſua ſalaria ipſis proueniunt, iuxta negociationes exercentes. viuunt enim libere & ex proprio ingenio quandiu in illis regionibus degunt. Reditus Capitanei ſunt valde opimi, ſiquidem alia adhuc munitio, *Soffola* nomine, & à Moſſambica verſus caput Bonæ ſpei centum viginti milliaribus diſtans, eidem ſubdita eſt: ad eam munitionem ſunt fodinæ auri, *Monomotapa* dicta; eſtque ibidem lacus ingens ex quo Nilum flumen ſcaturire perhibent, quemadmodum quoque idem de famoſiſſimo illo maximoque fluuio *Cuama* ſiue *Nigro*, qui medius inter *Moſſambicam* & *Soffolam* mare ingreditur, quique auri arenulas vehit, vulgo affirmatur.

Auri fodinæ Monomotapa.

Fodinæ *Monomotapa* abundant auro, eſtque illud peculiare quoddam genus mineræ, Luſitanis aurum *de Botongoen onroenpo* ſiue arena auri dictum, quod arenam quidem paruitate ſua & minutiis refert, ſed tam purum putumque, vt nullũ præſtantius ſit in toto Oriente. Capitaneus Moſſambicenſis in arce Soffolæ curatorem habet, & quotannis genus quoddam nauigij, illis *Pangaios* dictum, bis terue eô mittit, illud ſane littus legens aurum ex *Soffola* petit, mox in Moſſambicam apportandum.

Nauigium *Pangaios* è leui & raro ligno conſtructum, non niſi funibus colligatum eſt, nullo omnino clauo ferreo infixo. Affirmant plærique aurifodinas *Angola* vocitatas, & ab altera Aphricæ parte poſitas haud longe à fodinis *Soffolæ* diſtare, nec vltra trecẽta milliaria ab inucem abeſſe, acciditque aliquoties vt Nigrittarum aliqui pedeſtri itinere ab Angola Soffolam vſq; profecti ſint.

Sunt

Sunt ibi Nigritæ baiuli, qui humeris alios per continentem portent, pari modo quo apud nos iumenta assuefacti. nec homines solum, sed & alias quascunque res, ac si equi, muli aut asini forent, quoquo versus baiulant. ipse ego quibusdam locutus sum, qui baiulos eiusmodi viderant, quique ab Angola pedibus aduenerant.

Sed vt propositum prosequar, Capitaneus Mossambicensis ter centum mille Ducatorum reditus habet per triennium ipsi definitum: quod Capitaneus *Numo Velio Pereira*, nobis ipse testabatur, constatque summa ea vt plurimum ex auro, quod ex *Soffola Monomotapaque* ipsi aduehitur.

300000 ducatorum reditus pro Capitaneo.

Ex Mossambica in Indiam deportatur Aurum, Ambra, Hebenum, Ebur, mãcipiaque vtriusque sexus complura. sunt enim robustissima in toto oriente, nec alia tam fœda seruitia facile præstant. Semel in anno ex Mossambica in Indiam transmittitur, idque mense Augusto vsque ad medium Septembrem, nec enim in Indiam quisquam appulerit nisi cum erit *Monsoins*, id est illud anni tempus quod à ventis aspirantibus ita denominatum est: spirant enim venti illi certo anni tempore, quibus nautas se accommodare oportet, vt hinc inde transmittant. Nauigatio ex Mossambica in Indiam triginta diebus conficitur, qua confecta manendum est in India ad mensem Aprilem vsque, quo anni tempore redeunt venti *Monsoen*, qui Mossambicam comitantur euntes. Hoc modo quotannis nauis vna ex Mossambica soluit, & vna ad eam appellit ex India rediens; pertinetque vtraque ad Capitaneum. præter eum enim nemini negociationem exercere licet, exceptis Lusitanis qui Mossambicam vxorati simul incolunt, nemini cœlibi insulam inhabitare permittitur. de quo insulanis regio priuilegio cautum; quo nimirum Insula felicius habitetur colaturque.

Monsoyn.

Post Mossambicam patet ditio *Præsbyteri Ioannis* hodie *Abeximes* vocata, à quo nomine littus quod à Mossambiqua ad rubrum vsque mare extenditur, nuncupatur vulgo littus *Abex*. multi autem quotidie ex *Abyssinorum* prouincia in Indiam deferuntur, iique tum serui tum liberi, vbi remigum ministeria in Lusitanorum hinc inde negociantium nauibus præstant, quorum effigiationem inter icones ad calcem apposuimus. *Abexis* prouincia alio nomine à Lusitanis *Melinde* dicitur. adiacet enim ad littus illud peculiare regnum & metropolis eodem ambo nomine celebrata. Rex *Melindensium* primus omnium in Oriente Lusitanos hospitio excepit, & sincere, nulloque vsus fuco nec dolo malo fœdus amicitiæ cum illis iniit, quin hodie ipsis hospitium tutum præstat. Nos in Mossambica quindenam commorati, aqua dulci & reliquis necessariis nauem instruximus, complures nostrorum infirmabantur, nonnulli plane expirabant, aër enim nostris minus conueniebat, neque ipsa regio per se aliâs salubris putatur, nec aer temperatus, propter immensum Solis calorem.

Augusti die vicesimo naues iterum simul conscendimus, videlicet quotquot quatuor illis Lusitanicis vehebamur, & qui ex nauigio Capitanei Mossambicensis erant, ea Capitanei nauis jam triennium aberat. nomen Capitaneo *Don Petro de Castro*, cui antedictus *Numo Velio Pereria* successerat.

Capitaneus *Don Petro* vna cum Vxore & familia nauem ingressus Indiam petebat, secutus constitutionem regiam, quæ iubet vt triennio eo elapso, quo in Mossambica præfuerunt, aliud triennium deinde in India in gratiam videlicet Viceregis Indici regis ministeria obeuntes perseuerent suis propriis sumptibus. aliter reditus ipsis in Lusitaniē nō patet, nisi speciali regis priuilegio reditum impetrauerint, tum enim finito administrationis Mossambicensis triennio rectâ in Portugalliam reditus ipsis patet, quod raro admodũ euenit, nec nisi cum summa regis gratia nihil ex India excedere, ad nosue reuerti cõcedi-

tur, nisi impetrato saluo conductu à Vicerege. si quis sine venia discesserit, is postea nullo modo promouetur, & ne quis in eo delinquat, accurate attẽditur.

Vicesimo quarto Augusti die, duas Insulas mane conspeximus, quarum vna Insula *de Comara*, altera Insula *de Don Ioan de Castro* vocata. Comara insula distat à Mossambica per 60. milliaria, sita boream versus sub 11. gradu australi. terra ibi in altum admodum attollitur, adeo vt per integrum diem promontorium illud in conspectu haberemus, etiam ventis secundis vsi eodem die naues denuo digressæ ab inuicem suum quæque cursum sequebatur, more nautis recepto, & ob causas supra commemoratas.

Septembris die tertio Æquatorem transmisimus iterum, vbi is Melindam & Brauam ciuitates ambas ad Abyssinorum littora surgentes medius intersecat. Abest Æquator à Mossambica 330. milliaribus in boream, ab Æquatore ad *Capo de Guardafum* sunt centum nonaginta milliaria. est autem caput illud sub 12. gradu boreali. Ad littus quod inter Mossambicam & *Capo de Guardafum* est, protenditur, consurgunt ciuitates, quas ordine enumerabo.

Quiloa, olim *Rapta*.

Mombassa in parua quadam insula sita, ciuitati homonyma. ibi arenæ cumuli sunt prælti, & longe conspicui, est & portus ibi, cui duæ munitiones adsunt.

Melinde.

Pate.

Braua.

Magodoxo. quatum quæque peculiare regnum est, legem Mahometanam obseruant. homines colore magis remisso sunt quã Mossambicenses, capillos rectos habent, fruuntur quique suo priuato regimine, quemadmodum & Arabes & reliqui Mahometani.

Capo de Guardafum est terminus terræ Melindensis siue Abyssinorum.

A *Capo de Guardafum* in ęciam, si ad 20. Milliaria in mare abeas, occurret tibi famosa illa insula *Socotora, vbi aloe præstantissima prouenit, aloe Socotrina à solo natali dicta, quæ aliis omnibus præstat, estque solida & compacta, quæ in vniuersum orbem auehitur.* ad promontorium insulę Socotoræ incipit sinus siue *Estreyto de Meca.* siquidem in eo ad latus Arabiæ ciuitas *Meca* consurgit, vbi *Magmedis* cadauer ferreæ capsę inclusum sub fornice magnetino in aëre depẽdet, deuotionibusque tum à Turcis, tum ab Æthiopibus frequentatur assidue. Atque hic ipse sinus vocatur *mare rubrum*: non quod fluctus ibi rubescant, sed quod scopuli rubentes ad eum erigantur, vnde marmor rubrum excinditur; ad hæc quod quibusdam in locis arena maris rubida est. Hoc ipsum mare pertransiit *Moysis* cum filiis Israel, sicco pede. A capite *de Guardafum* ingrediendo Sinum siue maris illas angustias ad ciuitatem *Sues* olim *Arsinoe* dictam, quæ est ad extremitates istius sinus, sunt 360. milliaria. inde si quis pedestri itinere ad mare mediterraneum pergat versus Italiam, habebit 90. milliaria. *Estreyto* siue sinus iste tum in principio, tum in medio in latitudinem habet 40. milliaria, quibusdam tamen in locis constringitur magis. Sũt in eo insulæ complures. ad alterum latus prope ciuitatem *Sues* in boream, occurrit Arabia deserta, ad alterum vero latus in austrum est Ægyptus, quam Nilus perfluit; si nonnihil descenderis ad mare Indicum, aderit Arabia felix. è regione vero Arabię felicis visitur terra *Abeximes*, vbi regnat *Præto Ianus*. Ad promontorium Arabiæ felicis, qua mare rubrum ingreditur sinum, Lusitani habuerunt ante hac munitionem, *Aden* nomine, quæ vi illis deinde erepta est. Turcæ hodie cô confluunt, triremes per rubrum mare adducentes, quas ipsi in *Sues* ciuitate ædificarunt, quibusque plurimum damni inferũt accolis oræ Melindẽsis. quã de re suo loco fusius agemus. Posteaquam denuo nunc æquatorem transmisimus, apparuit nobis iterum polus arcticus,

Aloe.

Magmedis sepulchrum.

Mare rubrum.

arcticus, quem inde à Guinea & à S. Thomæ insula vsque reliqueramus.

Quarto Septembris vidimus nauium vnam è classe nostra, eratque S. Franciscus, collocuti sumus, & ea nobis comes ibat ad 7. vsque eiusdem mensis, quando denuo è conspectu nostro effugit.

Decimo tertio, aliam vidimus. erat ea S. Iacobus, sed effugit nos, nec colloqui voluit.

Serpentes in mari instar anguillarum.

Vicesimo Septembris vidimus agmina serpentum per cærula natantium, anguillarum magnitudine, vidimus & genus piscium orbibus planis simile, vnde Lusitani illis nomen *Vintins* indiderunt. *Vintins* vero est nummus regalis dimidius in portugallia, à forma videlicet & similitudine. Solent in magna copia congregati mare innatare, certissimo indicio, Indiam in propinquo esse. Paulo post apparuit terra, qua visa omnes præ lætitia exclamarunt; iacta bolide deprehendimus profunditatem 47. vlnarum nauticarum: eratque terra *Bardes*, quæ extremum cornu obtinet, ad ostia fluminis *Goæ* circiter 3. milliaria ab vrbe prominens. Vbi naues Indicæ in anchoris stantes mercibus vehendis onerantur, easdemque aduectas exponunt, terra editior est & conspicua. Inde bona in scaphis ad vrbem vsque aduectantur. nos eo die anchoram in alto iaciebamus ad 3. milliaria à terra, quod maris reciprocatio tum defluxisset. Nihil interim ibi periculi, & passim arena pura & strata anchoris satis fida, quod tum temporis æstas instaret.

Postero die vbi adueneramus, quæ *vicesima prima Septembris* erat, scaphæ complures ex eo genere quas *Amadias* vocant, ad classem nostram venientes aduexerunt victualia, & quæcunque reficiendis nobis essent, vtpote panem recentem, fructus & similia; erant inter illos Indi Christianam religionem professi, aderat & triremis, quæ Archiepiscopum exciperet, & eum in locum, cui *Pangyn* nomen medium inter *Bardes* & *Goam* situmque ad littus fluminis, deueheret. eo in loco excipiebatur à Vicerege Indiæ *Don Francisco Mascarenias*, & à tota nobilitate proceribusque tam ecclesiasticis quam politicis. Primores vrbis orabant *Fonsecam*, vti ad dies decem duodecimue eo in loco morari sustineret, donec apparatus fieret in vrbe ad excipiendum eum solita debitaque solennitate. ipso itaque consentiente, reliqui in vrbem reuersi sunt.

Archiepiscopus Fonseca excipitur.

NOTA. Nauigatio expeditissima mensium quinque.

Nos *21. Septembris die, anno 1583.* post menses quinque & dies tredecim in alueum fluminis, qui infra insulam *Bardes* est, emenso itinere salui deuenimus; morati interim per quindenam in Mossambiqua. Atque hæc quidem Nauigatio vna fuit ex expeditissimis felicissimisque, qualis intra quamplures annos vix alia contigit. vbi in alueum venimus, aderat ibidem vno die ante nos nauis à S Laurentio denominata.

Postero die appulit eodem nauis S. Iacobi titulo. quam similiter vno die post secuta est S. Francisci. per totum nauigationis cursum circiter triginta in naui nostra mortem obierant, inter illos quidam Slaui & superiorum Germanorum vnus, qui regius satelles fuerat: reliqui per vices semel atq; iterum omnes ægrotauimus sola venæ sectione restituti. numerus morientium quem modo annotaui, fere communis esse solet per naues singulas, quæ in Indiam vela faciunt. Ante annos duodecim, Vicerex cui nomen *Ruy Lorenzo de Tauora* Indiam petens, in ea naui qua ipse vehebatur secum habebat à latere mille centum viros, dumque essent in cursu, perierunt ex iis contagio. noningenti mortui in mare sparsi esca piscibus facti sunt, antequam Mossambicam vidissent. periit tum & ipse vicerex eodem fato, parilique pompa ipsi parentatum fuit. Morbus non erat alias vulgaris, credibile est eum ex tanta multitudine promiscue viuentium fuisse causatum, vnde naues hodie tam numerosa hominum colluuie nō onerare licet: nihilominus tamē ægre à sordibus & fœtore custodiūtur.

Tricesimo

Tricesimo Septembris die, herus meus Archiepiscopus maxima cum solennitate Goam vrbem ingressus, pariq; pompa ab vrbis proceribus exceptus fuit, qui in summum templum eum deducentes supplicationes fecerunt, quibus finitis, reduxerunt eum in palatium templo vicinum, quod in id præparatum fuerat.

Nouembris die vicesimo, nauis nostra prætoria siue admiralis demum appulit in regnum Cochinum, licet nullubi respirando moram duxerit, exantlatis grauissimis laboribus ob causas supra commemoratas, insumptisque in nauigationem mensibus septem, cum diebus duodecim.

Sub finem Nouembris, naues soluerunt Goa, Malabarorum Cochinorumque littora petentes, piper & alia aromata onerandis nauibus conquisituræ. pars *Onor, Mangalar, Cananorq;*, vrbes ad Malabarorum littus appellit, pars *Cochinum*: possunt autem ex prædictis ciuitatibus quotannis binæ naues onerari pipere. Distat Cochinum à Goa in austrum circiter 9. milliaria. Quotquot naues ex Portugallia veniunt, in vrbe Goa exonerantur. resident enim in ea mercatores negociationumque curatores: inde sequuntur littus Cochinum, vbi piper, vt dictum est, sibi comparent. Communiter quæq; nauis octies mille quintalia siue centenarios ponderis Lusitanici capit. exiguum est in quo excedant, seu deficiant. *Quintale* quoduis centum viginti octo libras pendet. Conueniũt itaq; Cochini, vbi curatores simul congregantur, coëmuntque Caryophylla, Cinnamomum, & si quę sunt aliæ merces Indicæ siccæ; quæ singula particulatim enarrabo, vbi reditum meum descripsero, expositurus quæ sit disciplina onerandis nauibus, quæue dispositio, & quis modus obseruandus.

Anno 1584. mensibus Ianuario Februarioque naues iam oneratæ soluerunt ex Cochino in Portugalliã, eo modo, vt altera alteram interiecto aliquo temporis spacio subsequeretur. tum quidem etiam frater meus nauem conscendens domum reuertebatur, vt qui ratione officij sui in nauibus præsens esse necesse haberet. Ego vero in India perseuerans apud herum meum ad annos aliquot hoc agebam, vt omnes terræ illius commoditates, mores gentis, fructuũ plantarumque illic nascentium vires, tum mercium mercimoniorumque rationes & eiusmodi alia perdiscerem, quę cuncta suo loco simpliciter quidẽ & nude, sed veraciter tamen & accurate exponam, præsens enim omnium vt plurimum spectator fui, notauique ipse singula: tum si qua ex aliorum relatu recensuero, ea ex fide dignis tam Indis, quam aliis personis per ea loca habitantibus diligenter excepi, excepta deinde ipsa etiam experientia comprobauit, dum mihi cum vicinis Nationibus conuersandum fuit hinc inde negociando commerciaq; exercendo, vti fit etiam apud nostrates, qui nunc cum maritimis, nũc cum Anglis aut Gallis contrahunt, qui vt & ipsi Lusitani vicina regna frequẽtare solent. At enim quoniam descriptio vrbis Goæ, Indorumque & morum illis vsitatorum, mercium item mercimoniorumque & consimilium illic prouenientium in manu nobis est, & vt res plenius rectiusque intelligatur, videlicet qui sint ductus littorales, quæ continuatio prouinciarum, quæ sequuntur ab Orientali latere ad extremum vsque terminum earum *Chinarum*, videlicet regnum, quod ipsum Lusitani cum interiacentibus insulis, per suas in Orientem nauigationes hactenus detexerunt; primum summatim exponam quæ sint circa littus illud Orientale consideranda, incipiens à mari rubro seu sinu Arabico, videlicet ab vrbe *Adena*, continuansque descriptionem persequendo littus tractim vsque ad Chinenses.

CAP.

CAPVT VII.

ARGVMENTVM.

De littore rubri maris, siue Arabiæ felicis, ad vsque Insulam & munitionem Armusium.

ANNOTATIO DOCT. Paludani.

ADena omnium pulcherrima munitißimaque ciuitas est per totam Arabiam felicem. iacet in valle depressa, ad alterum latus firmißimis Aurifodinis, ad alterum vero montibus præaltis cincta. In montibus illis visuntur quinq; arces perpetuis præsidiis excubiisque, ob innumeram nauium multitudinem quotidie comparentium illic instructæ. Constat vrbs sexies mille ædificiis. in ea negociantur promiscue Indi, Persæ, Æthiopes, Turcæ &c. idque noctu vt plurimum, propter Solis feruorẽ diurnum intolerabilem. Extra vrbem ad iactum lapidis consurgit mons, in quo vasta quædam arx, (Gubernatoris aula & palatium) excelsa eminet.

Olim hæc vrbs continenti adhæsit, nunc vero industria & indefesso labore hominum in Insulam redacta.

ADena Ciuitas in boreali hemisphærio ad ostia sinus Arabici siue maris rubri posita est, in littore videlicet Arabiæ felicis, magisque vergit introrsum, quam *Capo de Guardafum*, nempe milliaribus 60.

Sita est sub 13. gradu Aquilonem versus versusque Caput *Rosalgate*, quod est sub 22. gradu, in extremitate Arabiæ felicis, si mare Indicum respicias, distatq; à ciuitate *Adena* 240. milliaribus. Ipsa ciuitas adiacet monti, cui *Darsira* nomen, qui perhibetur ob meros scopulos inaccessus, nec pluuiis vnquam madescere irrigariue. Habitantes secus Arabiæ littora colore sunt giluo, citrino siue aquilino, ad formam fere Abyssinorum. Terra nutrit generosissimos equos, gregatim in Indiã mittendos. mittit eadem thus, myrrham, lignum Balsami, frumenta, nonnihil mannæ cum aliis quibusdam plantis aromatibusque odoriferis. Megmedis traditiones obseruant, sed secundum Persarum expositionem. *Si* à *Capo de Rosalgate* prosequaris littus Thracium, veniasq; vsque ad *Capo Moncadon*, olim *Asabora* dictum, numerabis septuaginta milliaria. Situm autem est *Capo de Mõcadon* rectâ ex opposito Armusij, quod est sub gradu 26. vbi incipit sinus Persicus. Insula Armusium media inter vtrunque interiacet respicitq; ex vna parte Arabiam, ex altera quæ in boream est, Persiam; extenditur in latum ad 20. milliaria. pergendo à *Capo de Moncadon* secus littus Arabicum introrsum ad vsque insulam *Baren* sunt 80. milliaria. subiacet ea insula 27½. gradui, & Capitaneus Lusitanicus, qui Armusij residet, curatorẽ suum Regis nomine in *Baren*

Dersira mons sine pluuiis.

Margaritæ orientales optimæ Armusij.

habet, capiunturque ibidem preciosissimæ totius Orientis margaritæ, suntque ipsissimæ quæ Orientales dicuntur. Prosequendo deinde littus Arabiæ in boream & à *Baren* ad extremum vsque sinus Persici pergendo, itinere videlicet 60 milliarium, conspicitur vrbs *Bassora*, quæ paulo altius quam sub 30. gradu posita est. Eo in loco flumina duo celebratissima *Tigris Euphratesq;* in vnum confluunt, iunctimque prope Bassoram ingrediuntur sinum Persicum; visuntur ibidem adhuc rudera & monumenta plurima veteris illius *Babylonis*. ad hęc *secundum quorundam doctorum* calculum *fuit hic Paradisus*. à Bassora vrbe littus in boream reflectitur Armusium versus, quod Regi Persarum paret. Sinus Persicus patet in latum circiter 40. milliaria. in eo sunt multę paruæ insulæ. Insula Armusium est ad ostia sinus illius. habent in ea Lusitani munitionem, viuuntque ipsi & indigenæ promiscue. Capitaneum suum triennio mutant ad exemplum Mossambicensium.

Tigris & Euphrates confluunt.

Paradisus prope Bassoram.

CAPVT VIII.

ARGVMENTVM

Armusium, quod Insulæ est & Ciuitatis nomen, hoc capite describitur.

ARmusium Insula est, & regnum per se peculiare, Lusitanis hodie tributarium. Rex Insulæ in hunc diem in ea residet, extra vrbem tamen. vrbem enim Lusitani tenent. Is traditiones Megmedis obseruat, subditi albicante colore Persis similes sunt. Vsu apud eos receptum est, vt quicunque in regem eligatur, is fratres suos ad vnum omnes, maresque sanguine ipsum proxime attingentes, effosis oculis excęcet: excæcatos deinde lautissime sustentat quoad vixerint. Statutum enim est Armusiorum, vt nemo cæcus Rex ipsorum esse possit; excæcantur consanguinei, vt Rex regnet securior, & quietius regnum possideat, præcisa aliis regnandi facultate, motuumque causis ita sublatis.

Armusiani Regis fratres excęcantur.

Insula tribus milliaribus ambitur, petrosa passim, solum omnino sterile, neque fructus vllos, neque pascua habens, quin imo nec aquam dulcem restinguendæ siti. *Petræ ex mero sale sunt, & ipsi muri parietesque ædificiorum ex sale petroso constant.* Insula ex sese omnino nihil producit, nec habet quicquam præter id quod ex Arabia, Persia & ex vrbe Bassora aduectum participat. Attamen ob maximam loci opportunitatem, nihil non affertur aduehiturque illuc in maxima copia, & ingens ibi negociantium frequentia est. Est enim Emporiū totius Indiæ, Arabiæ, Persiæ, Turciæ, & quarūcunque aliarum vicinarum nationum. quocunque tempore adueneris, habebis ibi Persas, Turcas, Armenios & omnium nationum homines, sunt & Veneti ibi, qui rem faciunt, ex aromatibus gemmisque magna affluentia quotidie eô ex India aduectis, quæ deinde Venetiam vsque inde perferuntur itinere terrestri. Vicissim autem Armusiani vndiquaque ex aliis prouinciis & regnis sibi adiacentibus quascunque merces accipiunt, ex regno Persiæ, ex prouincia *Coracone*, ex *Dio*, vnde tapetes preciosos quos *Alcarissas* vocant, in copia habent. Ex Turcia habent telam camelinam *(nostri* Schamlot *eam dicunt)* ex Arabia sunt illis varia aromata & herbę, pro pharmacopoliis, vtpote sanguis Draconis, Manna, Myrrha, thus & equi generosi, quadrigarum rapacissimo cursui accommodi, margaritæ orientales preciosissimæ, captæ ad portum *Moscate*, qui est inter *Capo Rosalgelte* & *Moncadon*,

Petræ salis.

Moncadon ad littus Arabiæ: item passulæ vbertim, varia genera dactylorum, nuces iuglandes, varia electuaria, quę in Indiam deinde ex Armusio vbertim deuehuntur, item monetæ genus quam *Larynam* vocant. singulæ *larynæ* faciunt binos numos in nostra moneta. est autem forma eius oblonga, ad modum fili argentei quod malleo complanatum fuerit inflexum, minusculis quibusdam characteribus notatum: est purum putum argentum cusum à Persis in quodã Persiæ loco cui *Lary* nomen est: in tantâ copiâ vt negociationes ex ea instituãtur, haud secus ac si essent aliæ merces. quæstus enim inde vberrimus est, valorque eius in India multum accrescit. Vt autem planius fiat, vnde sit Armusij tanta frequentia negociantium, & nationum, *sciendum, quotannis eô duas hominum peregrinorum collectiones, Caffilas & Caruanas dictas aduẽtare, qui pedestri itinere ab vrbe Syriæ, Alepo simul profecti sunt* Distat Alepum à Tripoli quæ est ad littus maris mediterranei, itinere trium dierum. *Congregatio ea siue Caffila sequenti modo disponitur: Imperator Turcicus quotannis in Aprili & Septembri, Capitaneum constituit, cui aliquot centurias Ianitscharorum attribuit, qui deducunt Caffilam ad Bassoram vrbem vsque. eô vbi ventum est, nauibus conscensis deinde Armusium vsque vehuntur. Norunt mercatores, quo tempore Caffila proficiscatur, vnde tempestiue merces suas & se itineri parant, conquirunt congregantque simul Camelos, Dromedarios, Mulos, Equos, venales pro cuiusq. commoditate. Numerus quotannis in Caffila congregaterum excurrit singulis vicibus ad quinque vel sex millia hominum: collecti veluti instructa acie procedentes proficiscuntur, bini singulis Camelis impositi, aut mercibus à Camelorum dorsis vtrinque dependentibus,* qualiter sub finem in schemate patebit. *Ianitschari saluos eos & bene defensos contra Arabes crebro irruentes, deducunt. Arabes enim* in hunc vsque diem latrocinia iugiter exercentes, Persas rapto furtoque perpetuo infestant.

Larina. moneta persica quæstuosissima.

Caffila orientalis siue congregatio quotannis instituta.

5000. aut 6000. in Caffila.

Arabes latrones.

Ita dispositi quadraginta diebus per deserta proficiscuntur: ternis quaternisue diebus semel aquæ fontes obuios habent, vnde aquam hauriant, quam in animalium pellibus tali vsui accommodatis secum auehunt.

ANNOTATIO DOCT. Paludani.

NOn nouum hodie est, Arabes latrociniis obuios infestare, neque nostra ætate ea consuetudo apud eos inualuit, sed longe ante natum Christum ob id infames fuerunt, quod Ieremias Propheta his verbis testatur, cap. 3. vers. 2. Attolle oculos tuos & considera opprobrium tuum, in triuiis eos operiebaris, & in desertis, quemadmodum pastores Arabiæ, terram scortatione & malitia tua polluisti.

Memini nos in multa millia Arabum incidere, viuentes misere in specubus & arena locis prorsus sterilibus, ducentes camelos suos sub ardentissimo sole, & per deserta errantes nec nisi rapto & latrociniis vitam sustentantes. Victus ipsorum & panis quem optimum habẽt, sunt placentæ quas fimo Camelorum pinsitant. (fimus ad solem prius exiccatur, quo deinde incenso, arena incalescit) victitant & lacte, & carne Camelorum. vescunturque aliis cibis ingratissimis, atque vt vno verbo dicam, miserrime plane viuunt: sunt enim & ipsi homines miserrimi.

Sequuntur præterea exercitum non pauci caupones, necessaria secum vehentes, vtpote mel, dactylos, oues, capras, gallinas, oua & similia, quæ commeatui inseruiant, quæ omnia abunde suo precio haberi possunt; sub noctem cuiusque diei confecto itinere tentoria quæ secum vehunt, extendunt, pernoctantque sub iis, sed non nisi excubiis probe curatis dispositisque. sub tali dispositione proficiscuntur ad ciuitatem vsque *Bassoram*, transeuntes Babylonem, hodie *Bagedet* vocatam, aliaque loca insigniora. *Bassoræ* constituti, ad dies aliquot respirant; tum denuo congregantur ij, qui negociis suis confectis iter domum versus remetiri cogitant iis congregatis, simili qua ante dispositione *Alepum* repetunt, secum simul aduehentes merces omnigenas in maxima abundantia vndiquaq; conquisitas. quod sane in maximum commodum cedit mercatoribus Alepũ visitantibus, cuiuscunque demum nationis ij fuerint, exceptis Hispanis & Lusitanis, & quicunque Regi Hispaniarum aliunde parent. eos siquidem singulari attentione obseruant arcentq;. nihilominus eorum complures sæpius reliquis admiscentur, simulantes se vel Gallos, vel Anglos aut Venetos. habent dictæ nationes Alepi & Tripoli suos curatores, soluuntque quotidie naues, ex portu Marsiliensi, vel Londinẽsi, aut Venetia dicta emporia frequentantes. Naues Tripolim vsque cursum tenent, vbi merces vectas reponunt vehendasque recipiunt. ab Alepo deinde per terram, Alepum vsque perferendas, vbi emporium est, frequentissimum, gaudentes priuilegiis & immunitatibus quam pluribus, ab imperatore Turcico ipsis magnifice concessis.

Hispani & Lusitani arcẽtur Alepo.

Veneti, Angli & Galli negociantur Alepi.

Posteaquam hic Turcici Imperatoris mentio incidit, operæprecium duxi, hoc loco ostendere qua via, quibusue modis idem Imperator quouis tempore per latissima sua regna, ditiones, & deserta vt plurimum loca, commodos tabelliones & rerum quarumcunque nouarum nunciatores præsto habere potest Sciendum itaque huic ministerio inseruire Columbas arte in id assuefactas, & quibus annuli ex cruribus dependent. *Columbæ deuehuntur ab vrbe Bassora & Babylone, ad Alepum Constantinopolimq; vsque aduectæ domum reuertũtur ipsæ alarum beneficio quod si necessitas ita postulet & res alicuius momenti se offerat, litteras ad annulos ex columbarum cruribus dependentes solidis nexibus applicant, dimittẽtes inde columbam, quæ auolans litteras simul secum in locum destinatum per aërem auehat, vnde videlicet columba oriunda fuit, nec raro talis legatio vltra mille milliaria à columbis conficitur.* Quæ res equidem vix fidem mereri videtur. veruntamen ipsemet bona fide affirmare possum, me factum hoc ex multis inde aduentantibus & serio id narrantibus ibi audiuisse. Vidi ipse eiusmodi columbas in India, quas Venetus quidã familiariter mihi notus, atque amicus singularis meus alebat. is ob rei nouitatem eas aduexerat, vt similia in India tentaret. Sed propositum repetentes dicemus porro, quæ *Armusium* concernunt. Sita est ea sub 27. gradu, *per æstatẽ quæ eodem anni tempore, quo in nostris regionibus, etiam illic incipit, tantus Solis feruor adest, vt in canalibus ligneis aqua frigida repletis dormiendum sit, absque vllo integumento. Coniuges simul cubantes toto corpore ambo sub aquam demerguntur ad collum vsque.* Tecta domorum complanata sunt, in summitatibus eorum foramina patent, per quæ aer & lux diei penetret (quod idem etiam ciues *Cayri* faciunt: vti postea dicetur) vtuntur instrumento quodam, quod appensum è sublimi hinc inde manu mouetur, ad instar motacillarum puerilium, nostris Schockelen / inde flabella circumquaque dependent, quibus impositi se in vicem agitando ventos sibi faciunt vt refrigerentur. vocant hoc inuentum *catauentos.*

Columbæ tabellionum vices obeunt.

In aqua dormiendum ob Solis æstum.

ANNO-

ANNOTATIO DOCT. PALVDANI.

Cayrum prealta habet ædificia, quibus tecta prominent late, vmbræ scilicet captandæ, æstusq; Solaris deuitandi gratia. per medias domus consurgit canalis erectus, ad decem vlnas supra tectum eductus, per quem aer penetret. is in Septentrionem obuersus patet, vt aura frigidior infusa per totã domum recipiatur, & maxime quidem, vt inferiora loca refrigerentur.

Si hyems fuerit, frigus respondet Lusitaniæ: aqua fontana ex cõtinente petẽda est, & postea in magnis vrceis lapideis reponenda, non absimilibus vasis Hispanorum *Tinaios* vocatis. eiusdem generis habentur in arce, quæ ad sesquiannum, si ita necessitas postulet, aquam promptam pręstare possint, vti fit etiam in *Mossambica. Est præterea genus hominum, mergos vocant, qui quatuor aut quinque vlnas nauticas subter aquam maris in fundum vsque merguntur, & aquam dulcem subtus mare petunt*: ea aqua purissima est, & saluberrima, quin adeo potui grata dulcisque, vt fontanæ nulla ex parte cedat. *Est in insula Armusio morbus epidemius seu popularis, vermes prælongos in cruribus generari, quos ex aquæ potu causari existimant. Cura istorum vermium hæc est, vt quotidie portiuncula vermiculi ex crure extrahatur super culmum aut pennam conglomeranda quaque vice, idque tamdiu tentãdum, quam diu vermiculus trahentem sponte sequitur. vbi sequi incipit ægrius, absistendum vsque in alterum diem, vulnus probe obligandum, vncto foramine seu vlcere butyro recenti non salito: hoc modo intra dies decem duodecimue, vermiculum omnem paulatim extrahunt, qui ad instar fidis instrumentalis musicæ testudini aptandæ extenditur, sæpiusque in passus duos tresue atque eo amplius porrigitur continuo ductu. ita curati absque vllo incommodo facile restituuntur. durante tamen curationis tempore patientes cruribus oportet quiescere. si enim vermiculi ex parte rupti fuerint, non nisi maxima molestia denuo apprehendendi sunt, vti aliquoties factum vidi.*

NOTA. Aqua dulcis subtus mare.

Vermiculi in cruribus quatuor vlnarum.

ANNOTATIO DOCT. PALVDANI.

Vermiculorum istorum mentionem facit Alsaharanius c. 11. suæ practicæ hisce verbis: Crescũt, inquit, quibusdam in locis, inter cutem carnemq; vermiculi, diciturque is affectus Passio bouina, à bobus videlicet, qui ea infestantur. excrescunt autem vermes isti in nimiam longitudinem, tamdiu sub cute proserpendo, donec ipsam cutim perrodant. Curatio in eo consistit, vt corpus à putridis humoribus purgetur, &c. plura qui desiderat autorem requirat.

ERat quidam in aula Archiepiſcopi natus Armuſij, nec ita pridem ad Archiepiſcopum venerat ex patriâ famulatum. is vna vice quatuor eiuſmodi vermes ex cruribus educebat, affirmans affectum eum in ſua patria popularem eſſe.

Præfectura Armuſienſis poſt Soffalam, Moſſambicamque eſt omnium opulentiſſima per totam Indiam, cuius reditus officiatis Luſitanis pro cuiuſque ſtatu & conditione cedunt, nec minores ſunt, quam Moſſambicenſes. Habent enim naues, quas *Goam, Bengalam, Chaul, Maſcatte*, atque in alia vicina regna mittant, nec vlli licitum eſt merces vel diſtrahere, vel coemere, aut naues onerare, niſi Capitaneus prior pro naui ſua coemerit, quantum ipſi opus fuerit, nauemq; ſuam in nauigationem expediuerit: nec tamen facit hoc ex aliquo ſpeciali regis in dulto, rex enim expreſſe de eo cauit ne fiat, ſed quod ipſe ſibi eam poteſtatem arroget; Rex longius inde abeſt, quam qui huic incommodo remedium adhibere poſſit. Priuilegium regium Capitaneo conceſſum, nullum eſt aliud, quam vt præter ipſum, aut cui ipſe poteſtatem dederit, nemo equos in Indiam mittat, idque ſane fit maximo ipſius emolumento, equi enim generoſiores maximo precio in India veneunt, *ſæpe equus 500. aut 600. Pardauis, quin imo 700. & 800. aut mille pardauis venditur*, quorum ſinguli faciunt Ioachimicum. Tempus nauigationis, quæ ex Goa verſus Armuſium inſtituitur, menſibus Ianuario, Februario atque Martio, item Septembri atque Octobri commodiſſimum eſt. Sequetur deinde deſcriptio littoris ab Armuſio ad Indiam vſque.

Equi mille Ioachimicorum.

CAPVT IX.

ARGVMENTVM.

Littus ab Armuſio ad Inſulam vrbemque Dium pertingens, ſequenti capite deſcribitur.

SI proſequaris littus in Eurum, occurret promontorium *Capo de Ieſque*, olim *Carpella* dictum; terra ea olim Carmania vocabatur; promontorium eſt ſub gradu 25½. diſtans ab Armuſio milliarib. 30. ſecundum littus ad, *Sindam* fluuium, ſiue Indum ex Cauca ſo monte ſcaturientem vſque pertingit; ex iiſdem montibus Ganges quoque in regno Bengalę mare ingrediens profluit, ſed de his ſuo loco plura. India ab Indo ſiue Sinda fluuio denominata eſt. fluminis huius oſtia ſunt ſub 24. gradu diſtat autem à *Capo de Iaſque* 140. milliaribus. Terra *Sinda* ad fluuium dictum porrigitur, quam Luſitani à fluuio denominarunt. Diues & feraciſſima eſt, illic vndiquaque negociantes confluunt, vtpote viciniores & ipſi Luſitani, qui Indiam, Armuſium & alia loca incolunt Inuenias ibi omnis generis telas, Bombicinas, *Lorins* vocitatas, item *Lumpardas* illis volantes dictas, ſunt velamenta ſubtiliora faciebus obtendenda. Adeſt ibi in copia & oleum & crocus, adeſt butyrum ſed minus ſincerum, quam apud Batauos, quod aduehitur in vaſis lapideis proceris, collo anguſto, cibis tamen coquendis ſatis facit. adeſt & plurimum reſinæ, picis, ſacchari puriſſimi: item tapetes pretioſi ex ſerico, & acu ingenioſiſſime picti, Indis ſunt in precio, vſus enim eorum eſt ornandis lectis & menſis vice tegumentorum.

Elaborantur varia genera calamariorum, Delphicarum ciſtularum, bacillorum,

lorum,manubriorumque,atque similium mire sculptorum, res pulcherrimæ emblemate tessellato pictæ, margaritarumque testis exornatæ, quibus India præcipue Goa & Cochinum repletur. postea quam Sindæ ostia & paruas aliquot Insulas non procul à continente & littore Sindico sitas præternauigarint,accedunt ad sinum non ita magnum Lusitanis *Enseda* dictum. in eo sunt Insulæ paruæ complures .Nomen sinus huius est *Iaqueta*,atque eo in loco rapacissima adeo maris est reciprocatio,vt nullibi similis visa vel audita sit,vnde fidem vix meretur, & cum miraculo passim refertur. *Huc Alexandrum Magnum deuenisse fama est,perhibentibus Indis,rapacissimi vero illius inundationis admiratione captum pedem retro tulisse,fatale & prodigium illud ratus,quo ipsum ab infortunio imminente præmoneretur, ne vlterius ad Indos procederet.*

Maris reciprocacio rapacissima.

Sinus hic ab Indo fluuio 60. milliaribus abest,inde pergendo secus littus in Austrum occurrit Insula & ciuitas *Dium*,habitata Lusitanis pariter & Indis indigenis promiscue.

CAPVT X.

ARGVMENTVM

Dium Arx pariter & Insula,olim Alambater dicta.

D*ium* Insula & Ciuitas à Sindo fluuio 70. milliaribus distat, sita sub 21.gradu ferme cum continente continua. fuit olim propria Regis Cambaiæ, vt quæ in regno & in littore illius posita sit. Lusitani in ea ex permissu Regis arcem excitantes paulatim & vrbem & Insulam sibi subiecerunt, munientes eā vt inexpugnabilis hodie videatur: eam Rex Cambaiæ arcem bis cum exercitu & regio satellitio obsedit, *anno* videlicet *1539.* & *1546.* sed à Lusitanis strenue defensa perstitit: de quo vide Chronica Lusitanica. Est in ea portus celeberrimus & negociātium frequentia magna. Licet nullo suo prouentu sustentetur,sola commoditas loci,& quod media inter Cambaiam & Sindum interiacet, eam omnium rerum abundantia beatam faciunt. vtrunque enim regnum,*Sinda* videlicet & *Cambaia* longe fœcundissimum est. Hinc fit vt quouis tempore in *Dio* reperias quascunq; nationes peregrinas,Turcas, Persas, Armenios, Arabes &c. Vectigalia in *Dio* reliqua quæcunque per vniuersam Indiam Lusitanis propria sunt, prouentu excedit. subsistunt ibi quotquot Beniani, Gussuratę, Rumossi & Persæ per Cambaiam versus rubrum mare negociantur, merces vel ex nauibus recipiendo, vel easdem illis onerando. nec alius est locus commodior ad sinus ostia,& Caput Cambaiæ. Merces hinc inde à *Dio* & *Cambaia* commutantur. *Dium* incolunt Lusitani promiscue cum indigenis quemadmodum fit etiam Armusij & in reliquis Indiæ locis Lusitanorum ditionis. arcem tamen soli Lusitani tenent. Insula sua annona abundat,habetque pecora & alia vitæ necessaria, vtpote boues, porcos, oues, gallinas, butyrum, lac, cępe, allium, pisa, fabas &c. quæ cuncta tum copia, tum bonitate Belgarum prouincias superant.

Habent & caseos sed contumaces admodum & nimium salitos, habent carnes salsas,& alia. Carnes fumo indurant sapore optimas,& in multum tempus duraturas, vnde naues & peregrinantes sibi commode de victu prospicere possunt, quin imo in tantum victualibus abundant, vt & vicina loca & ipsam Goam Cochinumque alant. vbi enim nec butyrum, cæpe, allium, pisum, oleū, nec legumina, vtpote fabę, triticum & eiusmodi ex se habent, affertur eo ex lo-

cis vicinis: vti dicemus dum loca maritima prosequemur. dicemus enim quas merces, quæ bona mercatoribus commodiora, quæ victualia & legumina &c. quæque regio ferat, & ab aliis participet. Pergendo à Dio in ortum circiter milliaria 15. aut 16. incipit regnum Cambaiæ, quæ tota patet in latitudinem 18. milliaribus, introrsum vero in continentem vergit 40. milliaribus aquilonem spectans, vbi ad fines regni ipsa ciuitas Cambaia consurgit sub 23. gradu, sedes regia videlicet, & à qua regnum denominatum est.

CAPVT XI.

ARGVMENTVM.

Cambaiæ regnum hoc capite describitur.

CAmbaiæ regnum feracissimum est, per totam Indiam. ex eo quęcunque loca vicina habent sufficientem victum, vnde fit vt frequens ibi sit negociatio, tam ab incolis quam à vicinis instituta, vtpote Indis, Lusitanis, Persis, Arabibus, Armeniis &c. frequentata. Rex traditiones Megmedis obseruat, subditi vero tam indigenæ quam aduenæ, *Gussaratæ* & *Benianæ* dicti, Pythagorici sunt, & tam prouide tamque probe negociantur, vt per totam Indiam subtiliores non reperias. sub finem videbit lector eorum icones: mores, ceremonias & consuetudines ipsis receptas suo loco recensebimus. Est autem terra feracissima victualiorum: abundat ex se siligine, oriza, piso, butyro, oleo. Conficitur ibidem tela bombicina omnis generis, quarum nomina hæc sunt, *Cannequins, Bosfetas, Iorins, Cantares, Cotonias*. Sunt autem eæ cannabinæ telæ comparandæ, nauium carbasis admodum accommodæ. Sunt & alia telarum genera quamplurima, & quidem vilissimo precio. Tela tam pulchre texitur, vt fila non dignoscantur, & Belgarum lanificium longe superet. Texunt tapetes *Alcarissas* nomine, non tamen ea dexteritate, neq; bonitate, qua sunt ij, qui ex Persia vltra Armusium petuntur. parant item genus tapetis *Banaquays* dictum, varietate texturæ Scotorum linteaminibus non absimile, delphicis & cistulis splendide integendis accommodum. Tapetes quibus insternuntur lecti *Iodorins Colchias* vocati, sunt longe pulcherrimi, & artificiosissime ex serico, aut gossipio facti, colore & opere omnigeno. qualia sunt & vela quæ prætenduntur lectis stratis. item *persindos*, id est, ligamina seu fasciæ extensæ per lectulorum Indicorum fulcra, quibus subtensis insternuntur lectuli. parant spondas sellasque pro mulieribus Indicis, miro artificio textas, & cera Indica varie infectas: parant alias, schagias, taxillis eburneis. Scuta ex testudinū testis arte mira facta atque opere vermiculato elaborata. parant sigilla & annulos ex ebore pulcherrimos, item ex clesso, quod ibidem abundat. Est apud illos genus cristalli ex montibus erutum. ex eo similiter sigilla, globulos & alia infinita conficiunt. Sunt ibi gemmæ plurimæ, hyacinthi, amethysti, chrysolithi, *olhos de gato*, nostris Carchedonij, Katzenaugen/ Spinelli, Robassi, Granati. Est Iaspis, non vnius generis, &c. Est & pharmacopolis sua ibi commoditas. adest enim opium, camphora, Sanguis draconis, Sandalum, de quibus suo loco sub aromatibus & plantis Indicis agemus. adest alumen, saccharum arundineum & alia, quorum nunc non meminisse vacat, quæq; hoc loco superuacaneum esset singula enumerare. Est ibi color Indicus quem *Anil* dicunt, isque soli Cambaiæ peculiaris est, vbi præparatur

Anil.

ratur toti orbi inuehendus, de quo suo loco plura. Atque hæc de Cambaiæ regno sufficiant. deinceps nauigationem prosequendo loca maritima continuabimus.

Ad fines *Cambaiæ* incipit *India* & terra Decam atque *Cucam*. incipit & sinus ille qui terram ingreditur à Cambaia ad littus Indiæ porrectus, littus eius versus occasum in Africum ventum excurrit ad insulam, quæ est ad ostia sinus illius, dictam *Das Vasquas*, sub 20. gradu. sub eadem poli eleuatione sita est ciuitas & arx *Damam* in continente. Lusitani incolunt distantem à *Dio* vrbe 40. milliaribus in Eurum.

CAPVT XII.

ARGVMENTVM.

De littore Indiæ, item qui portus, quæque aliæ ibi commoditates.

INdiæ littus ad ostia sinus Cambaiæ incipit. nomen sortitur ab Insula *Das Vasquas*. atque hoc in loco vera est India Orientalis, quod nomen ipsa obtinet in toto oriente, præter illud habet nomina quædam particularia. dicitur enim eadem *Mossambica, Melinda, Armusium, Cambaia, Choromandel, Bengala, Pegu, Malacca* &c. de quibus nominibus partim iam dictum est, partim dicetur deinceps.

Littus Indiæ incipit ad ciuitatem *Daman* siue ad Insulam *Vasquas*, extenditurque in austrum, vsque ad *Capo de Comarin*, vbi desinit, patens per totum 180. milliaribus. Ad littus illud consurgunt sequentes ciuitates, & portus atque arces, Lusitanis subiectæ & habitatæ:

- I. *Daman* Ciuitas prima est, inde pergendo milliaria. 15. videlicet sub 19½. gradu occurrit
- II. *Bassayna* ciuitas, ab illa per 10. milliaria. sub 19 gradu, adest
- III. *Chaul*. & ipsa ciuitas & munitio. à *Chaul* per milliaria. 10. sub 18. gradu, visitur
- IV. *Dabul*, à *Dabul* ad vsque
- V. *Goam* ciuitatem & Insulam 30. milliaria numerantur, sitaque est Goa sub 16½. gradu.

Lusitani tenent habitantque enumerata loca omnia, præter *Dabul*, quam tenuerunt quidem, sed iam olim amiserunt. Littus Goæ ad *Daman vsque* siue ad sinum Cambaiæ dixerunt olim terram borealem siue Septentrionalem. à Goa adusque *Capo de Comarin* terra australis dicitur, vulgo tamē littus Malabarum. Quę *Goæ* vrbis sit conditio, quę terrę *Decan* & *Cucan*, qui reges regnorumque primordia, inter particulares descriptiones referemus, vbi alia simul memoratu dignissima, tam Lusitanos, quam ipsos Indos concernentia exponemus. Nunc ea prætermittentes loca solum maritima, & portus eiusdem littoris subsequemur. Sciendum itaque prope singulas prædictarum ciuitatum peroportunos adesse portus nauiumque stationes, qualis est ad *Daman*, ad *Basayn*, ad *Caul*, &c. quo ex vniuersa India negociationes coguntur. ad hæc ipsæ regiones sunt fertilissimæ orizæ, pisi aliorumque leguminum, item butyri, olei, & nucum Indicarum. Solum gossipium abest per vniuersam Indiam, excepto quod ex Lusitania affertur. Sunt & alia illis alimenta in magna abundantia, texuntque & ipsi ex bombace telam, verum minus copiose.

Chaul ciuitas negociationes suas exercet frequentissimas *Armusii, Cambaiæ* & ad rubrum mare, Item in *Sinda, Masquate* & *Bengale* &c. habet enim mercatores ditissimos, nauesq; pene innumeras. Est locus non procul à *Chaul Vetus vrbs*, dicta, habitata indigenis, qui telam sericam varij coloris variique licij texunt, in tanta copia, vt tota India omnisque vicinia inde tela ea abundet, vnde ciues in *Chaul* multum serico crudo negociantur: quod à Chinensibus petunt, & deinceps præparari faciunt in loco prædicto, præparatumque per vniuersam Indiam distrahunt. Sunt ibi calamaria & atramentaria arte mira elaborata, sunt spondæ, sunt sellæ mulierum cera Indica varij coloris pulcherrime infecta, &c. vnde illis maximum lucrum est. Terra ex se abundat Zinzibere, quemadmodum totus ille tractus maritimus, vnde vilissimum est. Tractus ille borealis dictus, aerem habet temperatum & saluberrimum, crediturque nobilissima beatissimaque totius Indiæ pars. *Dium* vero & Malabarum è diuerso valetudini valde aduersantur.

Indi iam dicti, item qui Cambaiam habitant *Benianes* & *Gussarates* vocati, & qui in terra *Decan* sunt habitantes in summitatibus montium, dicti *Decanyns* & *Canaras*, pariter colore sunt gilui, alij tamen aliis coloratiores. at qui mari vicini sunt magis ad nigrorem vergunt: cætera similimi Europæis, idque non physionomia tantum sed & vita & moribus.

Malabari quorum regio 12. milliaria à Goa abest in austrum, porriguturque vsque ad *Capo de Comarin* colentes loca maritima, colore sunt nigerrimi. Capillos similiter rectos & nigros habentes, cætera Europęis conferendi. Hi præ cæteris omnibus assueti bello & durissimum genus, Lusitanos odio insequuntur igne & ferro, quibuscunque demum modis possunt. Sed vt terræ huius exactiorem notitiam habeamus, sciendum tractum maritimum, quem littus Indicum vocant, ad octo aut decem milliaria secus mare in planitiem perpetuam protensum, esse terram *Concam*, atque eam ipsam de qua hic agitur. post eam assurgunt montes tanta altitudine, vt nubes ferire videantur, ab vna terræ extremitate in alteram porrecti. incipit ea terra à Daman siue Cambaia & desinit ad *Capo de Comorin*, & inde vlterius secundum littus *Coromandel* protenditur. verum tametsi ea terra sit altissima, in summo tamen complanata est, cultissimaque. nomen illi *Bellagate*, item *Decam*, diuersisque regibus paret. Incolæ & indigenę nominibus *Decanyns*, item *Canaras* appellari solent. verum ea de re latius, vbi vrbem Goam cum territorio eius ob oculos ponemus.

CAPVT XIII.

ARGVMENTVM

Describitur tractus maritimus ad Goam, & inde vsque ad Capo de Comoryn, & Malabarorum fines proceditur.

INcipit littus Malabarorum ad *Capo de Ramos* 10. milliaribus à Goa, vergens in austrum, porrigiturq; ad *caput de Comoryn*, olim *Cori* vocitatum: estq; ea distantia 100. & 7. aut 8. milliarium: vbi Lusitani possident loca quędā arcibus suis munita. sunt autem hæc: A *Capo de Ramos* ad arcē *Onor* sunt milliar. decē. sita est ea sub 14. gradu. p̄sidio Lusitanorū defensa. abundat eo in loco piper, adeo vt quotannis naui vni cente-

centenarios septies octiesue milleportanti onerandę sufficiat, atque hoc piper bonitate atq; ponderositate reliquum per totam Indiam Malabarorumque fines vincit. Terra ea Reginæ de *Batticola* vocatæ subiecta est. *Batticola* vero vrbs est introrsum ad continentem vergens, non adeo procul à littore, vbi sedes illi regia. Regina ipsa piper diuendit, à qua curator negociantium illud acceptare necesse habet. Curator in *Onor* habitat. precium pro pipere sex mensibus ante pendendum est. secus si fiat, frustra erit. pecunia numerata piper particulatim traditur, sæpe etiam collectum in arce nauium appulsum ex Lusitania operitur. Fert & orizam hæc terra. Non est ad regiam illam arcem frequens peregrinantium concursus, nisi eo tempore quando piper onerandis nauibus inde petunt. paucos vero ante annos cœptum est inde piper cõquiri, quod negociantes antea eô non peruenirent. Ab *Onor* ad arcem *Barsaloram* quindecim milliaria numerantur. ea Lusitanis paret, sita sub 13. gradu, quo in loco piper & oriza vbertim proueniunt.

Onor.
Barsalor.

Distat à *Bassalora Mangalor* 9. milliaribus, sub 12½. gradu posita. Lusitanis subiecta, & pipere & oriza abundans plurimum.

Mangalor.

A *Mangalora Cananoram* vsq; sub 11½. gradu sitam, sunt milliaria 15. atque hæc munitio præstat reliquis omnibus quotquot Lusitani per fines Malabarorum possident. Extra eam munitionem excitarunt Malabari vicum amplum, ædificiis quam pluribus constantem, vbi quotidie forum victualiorum frequentissimum est ad miraculum vsque, nec forum illud Battauis septumanatim celebrandis. Sunt ibi gallinæ oua, butyrum, mel, oleum ex India, ficus Indicæ à *Cananor* apportatæ, eæq; tum maximæ, tum selectissimæ ex tota India, & (vt verbo dicam) adest ibi affluentia omnium victualiorum. Malos tanta taliq; proceritate & formositate habent, vt selectiores per totam *Norvvegiam* nõ inuenias, & in tanta copia, vt toti viciniæ sufficiant. Terra amœnissima est perpetuo virens, arboribusque fertilissimis consita, quales sunt ad totum tractum Malabarorum maritimum. Habitant inter Malabaros hosce Mauri plurimi sectæ Mahumetanę, vt plurimum versus sinum Arabicum negociantes. tametsi nulli Indorũ absq; Lusitanorũ permissu integrum sit eo negociationem instituere. secus. n. si fiat, & armada Lusitanica quę quotannis loca ea maritima à piratis defendit, vel in hos vel in alios Indos quoscunq; aliasue nationes diplomate salui conductus destitutas incidat, naues captas deprædabitur, nec raro fit, vt eas ad terram secum adducat, quæ vel ex Cambaia, aut Malabarorũ finibus, siue ex insula Samara, aut aliunde versus rubrũ mare negociationes suas instituerũt. Æthiopes *Cananoræ* cum Lusitanis cõfœderati sunt, metu munitionis, imminẽtis. at. n. sub tali prętextu nihilominꝰ ipsis infensissimi sũt, clamq; reliquis Malabaris contribuunt ad Lusitanos extreme persequendos.

Cananor.
Forũ frequens.
Mali formosissimæ.

A *Cananora* distat *Calecutium* octo milliaribus, situm sub 11. gradu. atque Calecutium quidem fuit olim longe celeberrimũ Emporium & Metropolis per vniuersam Indiam finesque Malabarorũ, fuitque sedes Imperatoria *Samoryni*, quod imperatorem sonat. Lusitanis vero deinde appulsis & sępius à Samorino ludificatis, Regem Cochinum Vasallum *Samorini* tum quidem pertenuium virium sibi adiunxerunt, iamq; prospero successu vtentes Lusitani, possessionesque sibi in India acquirentes, marisq; dominiũ paulatim adepti, porro Calecutiũ deseruerunt. vnde illud regnum plane cõcidit subtracta negociatione. estque inter Malabaros hodie vilissimum. Econtra Rex Cochinus & possessionibus & opibus Samorinum excellit, neque Samorinum superiorem agnoscit fretus Lusitanorum confœderatione.

Calecutium.
Calecuti infœlitus.

Hinc à *Calecutio* distat *Cranganor* milliaribus 10. sita sub gradu 11. estque ibidem etiam Lusitanis sua munitio.

Cranganor.

Cochinum.

A *Cranganor* vsque *Cochinum* sub 10. gradu situm similiter 10. milliaria numerantur. Vrbs promiscue colitur à Lusitanis & à Malabaris aliisque nationibus, qui religioni Christianæ nomina sua dederunt. Magnitudine prope ad Goam accedit, populosa & ædificiis magnificentissime exculta, DEORVM item delubris, atque Cœnobiis monachorum. adest illi fluuius amœnissimus, & portus commodissimus. Non procul ab vrbe fluuius non ita magnus seu riuus, quem sicco pede sæpius pertranseas, continentem influit. ad eum locus est cui nomen *Cochin Dacyma*, hoc est, Cochinum superius. is ad Malabaros pertinet, ethnicis superstitionibus etiamnum deditus, vbi Rex aulam suam habet, ædificiis Indico more splendide extructis frequentissimus, prostantque quotidie in foro ibi quæcunque necessaria, non secus ac *Cananoræ*, nisi quod merces negociantesque hic in maiori adsint copia. Regnum Cochinū exigua est Insula, riuulis passim interfusa. Rectâ ex opposito eius est Insula *Vappina* nomine, fluuiis circundata ad modum arcis *Cranganoræ*. Dicta modo loca cum adiacentibus sunt plana & situ humilia, vt & Hollandia nostra, nisi quod aggeribus eductis careant, contenta naturæ beneficio: ad mare nudum littus prætenditur, & post littus ad ripas fluminis cespes, absque vllo propugnaculo arte facto. Terra viret ꝑpetuo, syluis passim obsita, inter quas quædam non nisi cinnamomum, *Canella de mare* dictum siue syluestre cinnamomum ferunt. *Cinnamomi enim quod ex insula Seylon petitur, centum libræ centum pardauis siue Ioachimicis venduntur, hoc vero 15. saltem: aut 30. quod ne in Lusitaniam deportetur edicto regio prohibitum est. Interim syluestre quotannis in magna copia auectum pro vero cinnamomo ex Seylo insula habetur in vectigalibus, ne videlicet regi aliquid de vectigali decedat, non secus ac ex Seylon aueheretur.* Piper per Cochinum regnum quotannis duabus nauibus onerandis sufficit, reliquæ naues in locis dictis onerantur, & inde Cochinum redeunt, posteaquam in Goa merces ex Lusitania aduectas deposuerunt. Cochini simul conueniunt mercatorum curatores, oneraturi naues. qua de re exactius in descriptione reditus mei agam. Habitant promiscue etiam inter Malabaros Mauritani religionis Megmedicæ, habentq; templa sua *Mesquiten* dicta. Habitant ibidem & cateruæ Iudæorum locupletes admodum; suisque legibus viuentes, more reliquorum.

Vappin Insula.

Canella de mare.

Cinnamomū suppositium.

Brachmanes Malabarorum Indorumq; presbyteri sua quoq; idola & templa ibi habent, *Pagodes* vocata. Tres hæ nationes suam quæq; religionem sequendo, promiscue quidem sed pacifice tamen & vnanimiter viuunt: eademq; statuta politica obseruant, asciscunturq; pariter inter Consiliarios regios, præter alios nobiles & vasallos regis, quos *Nayres* vocant: quod si res alicuius momenti in deliberationem veniat, congregantur simul tres hæ nationes, in quibus omnem suam salutem rex collocat.

Mores regis, Nayrorum, Malabarorum, Brachmannorum &c. idola Pagodes, ritus & ceremonias, suo loco inter Icones repræsentabimus. Hoc vero loco pergemus in descriptione littoris.

A Cochino ad *Caulon* vsque sub 9. gradu sitam 12. milliaria numerantur. ea arx Lusitanorum est, vnde quotannis nauem vnam pipere onustam auehunt.

Chaulon.

A *Caulon* ad *Capo de Comoryn* vsq; 20. milliaria habes, caput hoc sub 7½. gradu est, & terminat Malabarorum agros ipsamque Indiam.

CAPVT XIV.

ARGVMENTVM.

Hoc capite agitur de Regib. Malabarorum, deq; origine eorum: & proponitur Diuisio terræ, & distributio prouinciarum in ea.

Vt re-

VT rectius intelligatur in quas prouincias Malabarorũ terra diuisa sit, sciendum est eam terrã olim omnem vni eidẽque regi regnatam. Eratq; tum non nisi vnus Rex, in cuius regnum hodie plures simul inuaserũt. Vltimus rex fuit *Sarama Perial.* Sub illo Arabes, qui superstitionib. Megmedicis dediti sunt, ceperũt negociari per Malabarorum fines, apportantes aromata ad mare rubrũ, vbi in naues recepta & inde toti orbi inuecta sunt. Eo tempore Arabes astutiâ suâ & Regem ipsum, & plurimos ex subditis circumuenientes, ad Megmedicam sectam adduxerunt. maximam quoq; Indiæ partem, & reliquos Orientis fines atque Insulas iisdem superstitionibus infecerunt. quæ sane precipua causa est, cur hodie difficulter adeo Christianã religionem amplectantur. Megmedani.n.quib. possunt modis à Christianismo eos absterrent, Lusitanosq; illis infensos reddunt. qua de re vide Chronicon Lusitanicũ super primam nauigationem in Indiam institutam, quando similia exempla complura euenisse reperies.

Diuisio regni, Malabarorum.

Rex Sarama perial.

Sed ad propositum reuertamur. Rex *Sarama* sectam quam recens amplexus fuerat, tanta cum deuotione colebat, vt plane secum cõstitueret, regno se abdicare, & deuotionis ergo *Mecam* ad Megmedis sepulchrum proficisci, vbi vitę suæ reliquum religiose finiret, sperans inde æternam beatitudinem certo sibi partam; simulq; propositum suum in actum deduxit. Sed quod esset sine prole, nec vnquã vxoratus fuisset, regnum in satellites suos diuisit, huic *Cochinum*, illi *Cananoram*, alteri *Chale*, & item alteri *Caulon* attribuens, atq; ita de reliquis ditionibus constituens singulas singula regna esse iussit. *Calecutium* conferebat ministro cuidam sibi amicissimo fidelissimoq;, titulum simul *Samorini* ipsi imponens, quod idem est quod Cæsar siue Imperator in reliquos omnes inferiores regulos, iubetque vt reliqui huic pareant tanquam vasalli: vnde in hodiernum vsq; diem Rex Calecutij titulum Samorini sibi vsurpat, imperiumque in reliquos Malabarorũ reges sibi vendicat, vti supra exposuimus. Rex itaque *Sarama* Mecam abiens vitam ibi finiit. Samorinus vero & reliqui minores reguli suam quisq; prouinciam possedit, duratq; ipsorum successio in hunc vsq; diem, eo modo quo instituta fuit. solus Cochinus post Lusitanorum aduentum euectus, at Calecutinus econtra depressus in angustum redactus est.

Samorini nomen.

Malabari præ reliquis bello sunt assueti, integentes pudenda, cætera nudi incedunt, idq; tam feminæ quam mares. Vaticano odio insectatur Lusitanos, nec aliis ęque infesti sunt, tametsi Lusitani pacem alioquin cum Samorino colant, cuius pacis causa à munitionibus Lusitanorum maritimis dependet; habent tamen Malabari sua diuerticula ad ductus fluminum, vtpote *Chale*, *Calecutij*, *Cunhale*, *Banane*, & alibi, per quæ quotidie scaphis in æquor descendentes mare infestum habẽt, cum exitio sane multorum negociantium. Quotiescũque Samorino visum est, pacem libere violat, idq; instinctu Mahumetanorum Christianis extreme infensorum infestorumq;. Hæ Malabarorum excursiones in causa sunt, cur quotannis in æstate Armada siue classis ex Goa proficiscatur, quæ littus legens nauigantibus saluum cõductum præstet, eosq; contra Malabaros pyratas defendat. potissima enim negociatio in India cõficitur per triremes, in quib. hinc inde nauigãt quotidianum quæstũ exercentes: vt deinde latius dicetur. Tametsi vero classis Lusitanica ad littus illud oberret, nihilominus spoliantur quãplures, capiuntur aduenę & bonis omnibus exuuntur. Terra per se feracissima est, perpetua fronde virens, visu amœnissima, solus aer aduenis minus conuenit. interim piper, quod alibi non prouenit nisi in his locis maritimis, hinc necessario petendũ est. Crescit quidem ad Malacã pip. sed parcius. At in Malabarorũ regno conquisitum ꝑ vniuersum orbem inuehitur.

Classis regia in India.

CAPVT XV.

ARGVMENTVM.

Describitur Insula Malandyua vulgo Malediua dicta.

REctâ ex aduerso *Capo de Comaryn*, versus sinum ad milliaria 60. in occasum *Maldyua* insula occurrit, quæ ad latus boreale sub 7. gradu initium sumit, porrigiturque in Euroaustrum vsque in 7. gradum, per milliaria videlicet 140. fama est vndecim ibi millia esse Insularum. verum id pro certo affirmari non potest. sunt innumeræ, & Incolæ non absimiles Malabaris. Aliæ insularum habitantur, aliæ desertæ sunt. terra enim admodum humilis est, ad modum Cochini, Cranganoræ & locorum circumiacentium, vnde mare plerumque eas inundat. Malabari bona fide narrant, fuisse olim eas Insulas cum continente coniunctas, sed maris impetu progressu temporis auulsas inde, quod in imo subsideret. Nullæ ibi merces habentur, solo coco siue *coquen* excepto (sunt eæ nuces Indicæ) & *Cayro*, quæ testæ sunt illarum nucum viridium, cannabis loco apud Indos vsurpandæ. ex iis torquentur funes nautici, fila, & eiusmodi fasciæ, parantur exiisdem aliæ quoque res diuersæ.

11000. insulæ.

Abundant illic testæ eæ nucum Indicarum in tanta copia, vt toti Indiæ, reliquisq; per orientem locis omnibus sufficiant.

Scaphas Indicas ex ligno arboris istius ædificant, similiter quæcunque naualia ad eas requiruntur ex eadem fiunt arbore, carbasa ex foliis eiusdem arboris contexuntur, nauis ipsa funibus contortis ex nucum testis colligatur absque vllo clauo ferreo, naui ita parata onerant eam mercibus ex eadem arbore paratis, quin ipsa cibaria & reliqua in nauibus necessaria vitæ sustentandæ desumpta depromptaque sunt ex arbore ista. In summa & nauis ipsa, & naualia, & merces transportandæ, tum victualia, quin ipsi remiges pasti ex ea descendunt. atq; vnica hæc arbor omnes insulanos Maldyuæ, in Indiam negociationis ergo nauigantes abunde sunstentat.

Nauis cum naualibus merci bus & cibariis ex palma.

Est ibi nucum genus peculiare, præ aliis in India commendatum. Indi dictitant illud contra venena quæcunque valere, visu pulcherrimum & gustu optimum, colore subnigrum. *Vidi vnam Viceregi in India oblatam tantæ magnitudinis, vt duas mensuras caperet, precio plus quam trecentorum Ioachimicorum siue Padauorum*, Hispaniarum regi offerendam. De qua arbore eiusque fructibus & negociatione ex ea instituta dicemus suo loco inter arbores & fructus Indiæ, nũc littorali descriptioni accingemur denuo.

Nuces contra venenum.

A *Capo de Comoryn* vergit littus in Aquilonem introrsum versus *Capo Negapatan* situm sub gradu 12. distat autem à *Capo de Comoryn* milliaribus sexaginta.

Si à *Capo de Comoryn* per quadraginta milliaria in Euroaustrum in altum proueharis, occurrit extremum cornu Insulæ *Seylon*, quod in Boream excurrit recta ex aduerso extremitatis *Negapatan*, quæ extremitas à continente distat milliaribus 10. inter caput illud & Insulam interiacent arenæ cumuli & nonnullæ Insulæ, quo in loco naues in extremum sæpe periculum deueniunt, quãdo necessario illâc pertranseunt petituræ *Bengalam*, aut loca maritima ad *Ghoromandel*. *Seylo* insula in longum habet milliaria 60. in latum 40. inter vtranq; extremitatem boreã versus sunt milliaria 18. sub 7½. gradu est Castrum & munitio Lusitanis *Columbo* dicta, ea non nisi armata manu & magnis impensis defendatur oportet. Lusitani enim per eam insulam nihil quicquam aliud possident.

Breuia.

dent. Munitio non admodum magna est, sed munitissima, extra eam ne latū pedem quidem possident. milites præsidiarij eius arcis pleriq; propter delicta in eam condemnati, capitis alioquin rei sunt. Scorta secum habent eiusdem prædicamenti, quorum famulatu & consuetudine vtuntur. Necessaria vitæ ex India ipsis petēda sunt. infestantur crebris incursionib. hostiū incolarum indigenarumq;. neq; tamen vna vice obsidionem perpessi strenue se defenderunt.

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM

De Insula Seylon, in qua Cingalas.

SEylon insula eo nomine celebratur, quod vna sit ex optimis quotquot nostra ætate detectæ fuerunt. adhæc quod feracissima sit omniū insularum quotquot sub sole sunt, habitatur ea à *Cingalis* moribus & vita ferme Malabaris respondentib. aures habent æque demissas & patulas, minus tamen colorati sunt, currunt nudi exceptis pudēdis. Ab antiquo non nisi vnum habuerunt regem, sed obtruncantes regem regnum inter se diuiserunt. Non ita multis ab hinc annis Barbitonsor summū ipsorum regem clam perimens regnū summa cum tyrannide inuasit, expulsis reliquis regulis, quos inter vnus christianā religionem profitebatur, qui in Indiam profugiens Goæ habitabat, ibique sumptib. regis Lusitaniæ alebatur. Tonsor ergo ille, cuius modo facta est mentio, se ipsum regem cōstituit, totamque Insulam suæ potestati subiecit. *Raiu* nomen eius est, & magna cum prouidentia regnum hodie administrat; est enim vir sapiens, bellicosus nec in cuiusdam alterius potentia aut consilio fiduciam collocat. Oderunt eum subditi, parent tamen magis ex formidine, quam ex amore & beneuoleutia. Strenuus est & seuerus, in delinquentes tyrannice aduertit, adeo vt sui ne mutire aduersus eum audeant. Lusitanis infensissimus est, iamque annus abierat, ante meum ex India discessum, quando munitionem *Columbo* maximo Elephantorum hominumque militantium exercitu obsedit. at enim reliqui per Indiam Lusitani opitulantes Columbensibus coegerunt eum obsidione soluta in sua reuerti. Insula montosa est admodum, est in ea mons quem altissimum totius Indiæ existimant, *Pico de Adam* dictus. *credunt Indi reuera ibi Paradisum fuisse, & Adamum ibidem creatum à mundi opifice, quin affirmant hodie adhuc videri Adami protoplastæ vestigia in summitate montis impressa petris, non aliter ac si arte incisa essent, nec vetustate deleri.*

Cingalas, Zigeunes ex Seylon.

Rex obtruncatur, terra diuiditur.

Barbitonsor rex in Seylon.

Rex obsidet Lusitanos Elephantis 100.

Paradisus & vestigia Adami in monte Seylon.

Insula feracissima est fructuū Indicorū omnis generis: habet feras quascunq; gregatim, vtpote Ceruos, hinnulos, apros, lepores, cuniculos &c. Sunt ibi omnis generis & in maxima copia volatilia, vtpote pauones, gallinæ, colūbæ &c. adsunt mala aurea, lōge optima, adsunt limones, citri, nō Indicis solū, sed & Lusitanicis & Castellanis multo prȩstātiores. sane quȩcunq; p vniuersam Indiam hinc inde locis diuersis proueniūt, ea simul in vnica hac insula vbertim succrescunt. Sūt ibi palmȩ Indicȩ copiose, *Coquen* vocatȩ. ad hæc homines fide digni, qui captiui in ea insula fuerunt, retulerunt mihi, crescere ibi nuces moscatas, Caryophylla & piper, ab incolis culta. verum nescio si fidem mereatur ea relatio, siquidem Christiani hactenus nihil eorum perceperunt. *Verum & optimum cinnamomum totius Indiæ plenis syluis in ea prouenit, quo orbis vniuersus repletur. Hoc cinnamomum furtim & noctu à Lusitanis Columbensibus raptum in arcem importatur*, hinc Capitanei isti præcipuū sibi capiunt salarium, vt quorū stipendia alias tenuio-

Cinnamomū optimum in Seylon, quod Lusitani furantur.

Gemmæ.

tenuiora sint. Sunt in hac Insula gemmæ omnis generis excepto adamante, sunt Saphiri, Rubini, Topasij, Spinelli, Granati, Robassi, & quidem totius orientis optimæ. Capiuntur ibidem vniones, sed viliores illis qui *Bareni* ad Armusium capiuntur. Sunt ibi venæ auri & argenti aliorumque metallorum, quæ ex regis interdicto non effodiuntur, quod ea thesauri loco abscondita seruet. quantum vero ego coniectura assequor, in ea plane sum sententia, fieri eô, ne videlicet exteri auaritia ducti vi regnum eius inuadant. Habent ferrum, linũ, sulphur & eiusmodi alia. Elephantorum ibi greges sunt innumeri, neque nec per totam Indiam inuenias illis nobiliores nec generosiores. *Experientia testatur in hunc diem, quod, si qui ex cæteris Indiæ elephantis ad hosce aduentant, non nisi cum reuerentia quadam & delato honore eos accedant.* Insulani *Cingalas* dicti, valent ratione & intellectus subtilitate, exercẽt artificia ingeniosa & elaboratiss. in auro, argento, ebore, ferro aliisq; mineris, digni admiratione, & ob id per vniuersam Indiã præ aliis quibuscunq; celeberrimi. *Cannas sclopetarias tanta cũ dexteritate parant, vt torno atque ex argento elaboratæ appareant.* Offerebatur hero meo Archiepiscopo idolum crucifixi Christi vlnæ vnius longitudine, ex ebore tam subtiliter & artificiose politum, vt capilli, barba, facies non arte sed natura effacta & viui hominis partes referre viderentur, quale apud Europęos artificiosius non inuenias. herus meus ob mirum ingenium illud capsula reconditum Hispaniarum regi misit, dignum quod inter tanti regis thesauros haberetur. Eiusmodi ergo ingeniosis repertis insulani hi maxime præstant. Sunt ad hæc præstigiatores miri & solertissimi, quibus imposturis tam viri quam feminæ vacantes totam Indiam peragrant, corradentes pecunias. Atque hæc sufficiant de Insula *Seylon*, deinde propositum nostrum vrgentes describemus caput *Nagapatan* ad *Choromandel* littus prominens.

Elephantes nobiles & venerabiles.

Præstigiatores miri in Seylon

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

Littus Choromandel, & Narsingæ regnum, siue Bisnagar describitur.

INcipit littus hoc ad caput *Nagapatan*, pergitque in boreã ad locum vsq;, quẽ *Musulepatan* vocant, per milliaria 90. sub 17. gradu situm. inter fines interiacet prouincia *S. Thomæ* sub 14. gradu porrecta, distans à *Nagapatan* milliaribus 40. in eo loco, vt & in *Nagapatan* Lusitani habitant, per eos fines negocia sua exercentes. Fuit olim ibi Metropolis cui *Meliapor* nomen erat, subiecta Regi *Narsingæ*, hodie Rex *Bisnagar* vocato, à loco videlicet & metropoli, in qua aulam regiam habet. Metropolis ea in continentem recedens à littore bona ex parte abest. Incolæ in omnibus respondent iis, qui habitant *Bellagatte* quos *Decanyns* & *Canaras* vocãt. sunt enim omnes eiusdem nationis, solis locis & regnis diuisi. Porro vt liquidum fiat, qua de causa huic loco S. Thomæ nomen inditum sit, rationem eius rei aperiam. *Indi perhibent S. Thomam Apostolum olim in regnum Narsingæ venisse, tum videlicet quando Apostoli per totum terrarum orbem diuisi Euangelium prædicabant. Is ergo Apostolus peragratis multis Indiæ locis, absque vllo tamen fructu tandem & hoc loco subsistens indigenis saluificam Iesu Christi prædicationem annunciauit. quam sane Historiam ita referunt ij, qui ex indigenis illis nati fuerunt, & quos Lusitani aduentantes ibidem vi-*

Historia de S. Thoma.

dem viuentes adhuc repererunt, suntque in hodiernum diem ex illis, qui ceremoniis suis ecclesiæ Græcorum respondeant vtentes lingua Chaldaica, quibus piaculum est, si in religione cum Lusitanis conuenirent. paucis ab hinc annis, & quidem meo tempore, habuerunt Episcopum, qui terrestri itinere Romam adiit, seq. sub Romanã Ecclesiam dedit, nihilominus tamẽ Pontificis pmissu vsitatas suas ceremonias obtinuit & reseruauit. Hero meo deinde generale Concilium in vrbe Goa cõuocante, comparuerũt Suffraganeus Archiepisc. Episcopus Cochinus, Episcopus Malacensis, Episcopus Chinensis, ad quos Episcopus etiã S. Thomæ, tum recens Roma reuersus, & Archiepiscopi titulo à Pontifice auctus vocabatur. is præsens in Cõcilio aderat, verum nullo modo in minimo concessit, vt quicquam de ceremoniis in suo Episcopatu hactenus vsitatis immutaretur, aut vt suffraganeo suo, & Christianis suæ fidei cõmissis, (Christianis S. Thomæ dictis) quicquam in iis decederet. Sed ad Historiam: referũt prædicti Thomistæ Apostolum diu in regno Narsingæ annunciasse quidem Euangelium, at nihil magnopere profecisse: Brachmanes enim qui Sacerdotes sunt Pagodes, id est idolorum, qualia Indi pro numinibus colunt, omnibus modis ipsi restiterunt. tandem (aiunt) petiit S. Thomas à Rege exiguum telluris, super quam sacellum statueret, in eo preces suas dicturus, maxime vt erudiret populum; rex à Brachmanis phil...itus preces S. Thomæ respuit: hinc fato quodam factum, vt ingens arboris truncus deuolutus sit ad ostia fluminis illius, quod Meliaporam ciuitatem alluit, vnde & nauibus & scaphis cursus interclusus fuit, & Rex detrimentum inde passus est ex negociationibus interruptis. Rex vt remedium huic malo afferret, coëgit vires suas, adductis tercentum Elephantis, quibus iunctis trabem è flumine extraheret, re vero in cassum tentata, nec tantis viribus quicquam proficientibus, nec Brachmanorum incantationibus consiliisue quicquam valentibus, rex animo conturbatus, edicto iussit, vt quicunque huic incommodo vel ope vel consilio subueniret, haberet dona amplissima. Edicto promulgato Apostolus regem accedit indicans, si regi ita videretur, se nullo adiutum adminiculo solum remoturum trabem, nec se aliter remunerari petere, quam vt Rex trabem eductam concederet dono ipsi, quo ex eo strueret Oratorium priuatis precibus à se fundendis. annuit rex S. Thomæ petitioni, licet vanitas tum ipsi regi, tum Brachmannis videretur.

Episcopus Thomista Romam abit.

Concilium Goæ.

Thomæ Christiani similes Græcis & liberi in ceremoniis.

300. Elephanti trabem ducere non sufficiũt.

S. itaque Thomas Zonam qua lumbos succingeret, ad trabem religans nullo negocio eduxit eam sponte sequentem in continentem cum miraculo omnium qui astarent: Rege ante alios stupescente, à quo illico impetrauit, vt è trabe educta Sacellum statueret. viso miraculo Indorum plurimi conuersi & baptizati sunt. Brachmanes econtra viluerunt apud vulgus, vnde infensi S. Thomæ, vitæ eius insidiabantur, & quibusdam è vulgo pecunia corruptis, eum in Sacello in genibus deuote procumbentem postico vulnere transfigi fecerunt. recitata historia passim in India ad parietes & templorum fornices depicta memoriæ consecratur. Addunt præterea eorum posteros, qui Apostolum transfixerunt, à DEO tali maledictione punitos, vt nati ex illis alterum crus habeant crassitie & forma cruris Elephantini, cætera corporis membra, atque altero crure bene alioquin constituti, & proportione formosa, atque valetudine satis commoda reliquis hominibus conferendi. Vidi ipse & mares & feminas ex ea propagine: & familiæ illarum habitant totos vicos, suntque Christiani ipsorum more quamplures inter illos descendentes ex prouincia S. Thomæ, in qua in hodiernum diem frequentes visuntur. Sed an hæc sit causa vel alia istius monstrositatis, fides ea sit penes autores, ego quidem multos eorum rogaui causam, qui ignorantiam prætendentes ad prænarratam historiam se receperunt. Crassities pedis non est illis remoræ, parit solummodo deformitatem quandam.

Miraculum S. Thomæ.

S. Thomas obtruncatur.

Homines crure Elephantino.

Ciuitas *Meliapor* progressu temporis defecit & concidit prorsus, vt sunt mundana caduca.

Posteaquam Lusitani in eam terram venerunt exercentes negocia sua, statim supra sepulchrum S. Thomæ excitarunt vrbem, addideruntq; templum ex lapide formato, in ipso loco, quo Sacellum S. Thomæ prius ex trabe steterat. Fores templi ex ligno seu trabe è flumine educta fecerunt, in memoriam

Fores templi ex deuotione cæsim imminutæ.

miraculi,reseruantur ibidem ossa & reliquiæ S.Thomę in maxima veneratione,fiuntque frequentes peregrinationes deuotionis ergo susceptę ad dictas S. Thomæ reliquias. *quin fores ipsæ pene frustulatim concisæ à peregrinantibus valde diminutæ sunt,qui decerpta frustula auro argentoue postea circundantes à collo ea pro phylacteriis suspenderunt. Thomistæ id animaduertentes,templi fores clauis ferreis impactis munierunt, ne quid simile deinceps fieret, neue reliquias suas omnino amitterent.* Flander quidam patria *Sleuisius*, viuens in ea terra vltra annos triginta contracto matrimonio, amicus meus singularis ex eo ligno globulos coralliorum forma connexos quāplures mihi dono mittebat, quos ante annos multos ex ligno eo fieri curarat,& vt mihi essent in sacrosanctas reliquias volebat,Lusitanus qui eos Goā ad me deportarat, summa cum veneratione eos tractabat, referens simul miracula quæ præstitissent, vt illorum virtute ex sæuissimis tempestatibus erepti fuissent inter nauigandum. quam primum enim globulos in mare demisissent,tempestatem sedatam; quo nomine eos admodum prædicabat,eo fine vt haud minoris facerent, quam sanctissimas quasque totius orbis reliquias.

Littus à *Musulapatan* porrectum iterum in Aquilonem inflectitur, vsque ad regnum *Bengalæ*,per milliaria videlicet 120. dicitur alias regnum *Oriza*, quod secus littus protenditur ad vsque flumen *Gangem*, vbi regnum *Bengalæ* incipit. Littora *Narsingæ*, *Bisnagar* & *Orizæ*, item littus *Nagapatan*, siue S. Thomæ, communi appellatione à Lusitanis *Choromandel* dicuntur. Hic præcipua Lusitanorum negociatio est. terra enim diues & omnium rerum necessariarum fertilissima est. abundat ibi oriza, sunt volatilia, armenta, pecudes in copia, aer est temperatus, nec nostris hominibus ingratus, siquidem aduenæ rectius hic habent quam in India. Habitantes loca maritima quotidie negociantur versus *Bengalā*, *Pegu*, *Sian*, *Malacam* & *Indiam*. texitur in *Negapatan* & S. Thomę, tela bombycina miro artificio vario colore, & pulcherrime picturata, filo tenuissimo, deportatur ea vt plurimum in Indiam vbi maioris habetur quam sericum, quod & arte & subtilitate longe superat, plurisque venditur. Tela ea *Rechatas* & *Cheylas* vocatur. parant sibi ex ea Lusitani & Christiani qui Indiam incolunt femoralia, item succinctoria quibus vtuntur mulieres domi, ab vmbilico ad media femora vsque pertinētia, quibus nihil formosius videas. Tela quæ optima est, dicitur *Pannus de Sarasso*. Telarum aliæ filis aureis argenteisue sunt intertextæ artificio miro & elegantissimo. Parant præterea telas omnis generis, lōge pulcherrimas, ex quarum operis vitam complures sustētant. Ad littus hoc crescunt arundines siue iunci tantæ crassitiei, vt in India iis ad lecticas *Pallankyns* dictas, in quibus mulieres per publicum deferunt, vulgo vtuntur, quarum delineationem inter Icones apposuimus. Habent eæ arundinis crassitiem, quam vtrique manui vix iunctim includas, crescunt sua sponte, aspectu gratissimæ, præaltæ, nigræ, rotundæ, de quibus suo loco plura.

Arundines miræ crassitiei.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTVM.

De regno Bengalæ & flumine Gange.

Ganges fluuius.

Fabula de Gāge.

SVb fines regni Orixæ,& littoris *Choromandel* ingreditur flumen *Ganges*, inter Cardinalia totius orbis flumina numerandum, de cuius scaturigine nihil certi habetur. sunt qui putent eum ex paradiso deductum, inducti fabulosa quadam narratione à Bengalis memorata. Perhibent illi Regem Bengalæ olim desiderasse fontem eius inuestigare, quam

quam ob causam peculiariter quosdam educarit, quos piscibus non coctis & eiusmodi eduliis inemptis nec præparatis aluerit, eo fine vt haberet eos accōmodatiores ad propositum suum perficiendum. fecit & nauem singulari artificio in id ædificari, qua extracta, homines ita, vt dixi, nutritos misit in ea, qui aduerso flumine alueum subnauigarent. ij mensibus aliquot in nauigationem insumptis, tandem ad locum appulerunt, vbi odorem suauissimum perceperunt, quo in loco constituti visi sunt sibi in paradiso versari. tendentes dein vlterius ne vnum quidem pedem latum vltra prouehi potuerunt, vnde frustrati necessario coacti sunt remetiri alueum: reuersi indicarunt regi quid inter nauigandum vidissent, quidue ipsis acciderit. cui narrationi si quis fidem denegauerit, is sane duro ad credendum corde erit. ad me quod attinet, sciat me eadem qua accepi mensura, aliis ea diuendere.

Sunt in hoc fluuio Crocodili, quales Nilus habet. ostia eius sunt sub 22. gradu. littus in Eurum vergit vsque ad regnum *Aracan*, per 80. videlicet milliaria, quod passim inflexum & incuruatum, habet insulas complures, breuia & loca arenosa, sinus tortuosos & flexus varios. Terra enim *Bengala* introrsum in continentem vergit à mari remotior, propter littus quod in Euroaustrum recurrit ab *Araca*, vsque ad extremos Malaccæ fines, & ad extremam cuspidem *Singapura* dictam. Sed vt eô vnde digressi redeamus, sane *Ganges* fluuius ab Indis benedictus, expiatorius venerabilisque habetur: certo enim credūt, quod quicunque semel in eo lauerit, ab omnibus suis peccatis abluatur, tametsi pessimus omnium peccator fuerit: tamque purus & immaculatus ab omni scelere & labe euadat, ac si recēs ex vtero matris prodeat. è diuerso si quis in eo non lauerit, eum saluum fieri non posse, qua de causa ex tota India, quin ex vniuerso Oriente maximus eô concursus est. Confluunt gregatim, vtuntur Ceremoniis & superstitionibus adeo insolitis, vt tuentibus stupori sint, certo persuasi, cœlum ipsis propterea deberi.

Crocodili in Gange.

Ganges Indis sacrosanctus.

Ciuitas *Chatiga* à Gange distat milliaribus quinquaginta. ea Metropolis est in *Bengalen*, cuius incolæ colore similes sunt insulanis in *Seylon*, nisi quod plusculum albicent quam *Cingalas*. natura sunt versuti & malitiosi, vnde inter nequissimos totius Indiæ flauos connumerantur; mulieres lasciuia & luxu diffluunt, quo vitio per Indiam nihil est familiarius. Mos est apud eos, vt in eadem olla nullo modo bis coquant, sed quaque vice recentem vsurpent. In adulterio deprehensis nares cultro detruncantur, fitque diuortium, si ita velint coniuges. quæ constitutio stricte obseruatur. Habent quæcunque vitæ necessaria in magna copia, præsertim orizam, quæ præ aliis omnibus Indiæ locis vberius in *Bengala*, prouenit. onerantur enim eâ naues complures quotannis per terrarum orbem inuehendâ, nec tamen vnquam in *Bengala* ea deficit. reliqua vitæ necessaria abunde haberi possunt precio tam vili, vt scribenti hæc vix fides deberi videatur. Bos integer venit plærunque vno *Laryn*, quod in nostra moneta quatuor bazios facit: sic & oues, gallinæ &c. suo quæque precio prostant vilissimo. Vnum *Candel* orizæ quod tantundem capit, quantum apud nos 14. medimni, venditur in *Bengala* dimidio Ioachimico. Saccharum & reliqua aromata suum habent precium admodum tolerabile. hinc facile conijcitur, quæ sit ibi omnium rerum abundantia. negociantur ibidem Lusitani, possidentque aliquot vicos, vtpote portus quos *Porto grando* & *Porto piqueno*, id est, Portum magnum, & Portum paruum vocant. nullam tamen munitionem, neque constitutiones politicas in hac prouincia, sicut in reliqua India, præscriptas habent: viuunt ferme brutorum more, est sui quisque arbitrij, suique iuris, ius & iustitiam nihili faciens, si quando videlicet à Lusitanis Indiam habitantibus de ea commonefiant. Dicto itaque modo sparsim per Bengalam

Nares adulteris secantur.

Vilissimo precio omnia habentur.

viuunt ſinguli in locis ſingulis, qui plerunque ſunt homines infames, ob ſcelera & delicta ex India vel profugi, vel relegati. Eſt ibi negociatio frequentiſſima, nauibus vndiquaque appellentibus per totum anni circulum. præter abundantiam orizæ, quam modo dixi, parant quoque telam bombycinam longe pulcherrimam & maximi precij apud Indos, quæ non per Orientem ſolum, ſed & per Luſitaniam atque alias orbis partes diſtrahitur: ſunt varia genera huius telæ, quorum nomina hæc ſunt, *Sarampuras*, *Caſſas*, *Comſas*, *Beatillias*, *Satopaſſas*, atque alia infinita. Habent & aliam telam linteam ſcitiſſime textam ex herba, quam ad colum nent inſtar lini noſtratis. Fila ex ea herba contorta videre eſt apud *Doct. Paludanum*, colore ſubgiluo. planta dicitur *herba de Bengala*. eiuſmodi filis pulcherrime acu elaborant linteamina, quæ lectulis inſternuntur, item *Pauellionem*, puluinaria, tum lintea quibus tonſores vtuntur, quorumque vſus eſt infantibus in baptiſmate conſecrandis, qualibus obſtetrices noſtrates vtuntur. ea mire acupingunt, nūc hiſtorias, nunc floſculos frondesq; affingentes colore vario, viſui gratiſſima, & tam dædaleo opere perfecta, vt in Europa melius facta non inuenias. ex eadem herba totos pannos linteos conficiunt, quos interdum ſerico intertexunt, licet lintea quæ ex mera hac herba fiunt, pluris habeantur, quin & elegantia & ſubtilitate ſericum antecellant. Hoc lintei genus *Sarryn* vocatur, cuius vſus in India frequens eſt parandis femoralibus & thoracibus pro viris. tela ea lota non ſecus arridet, ac ſi vſui non fuiſſet. Affertur ex Bengalen *Algallia* copioſe, quæ tamen ob fraudulentum indigenarum ingenium deprauatur, vt fit etiam in ſale, in oleo & aliis eiuſmodi rebus, ob id & *Algallia* ea vilior putatur. Sunt in regno *Bengalen* Rhinocerotes, Luſitanis *Abadas* dicti, cuius animalis cornu, dentes, caro, ſanguis, vngulæ & cæteræ eius partes toto genere reſiſtunt venenis, qua de cauſa in maximo precio eſt apud Indos, quod ſuo loco plenius dicemus.

Algallia vel zibetum.

Rhinocerotes.

Arundines variæ.

Creſcunt ibidem arundines verſicolores, quarum varia genera apud *Doct. Paludanum* videre licet. Luſitanis dicuntur *Cannas de Bengala*. plenę ſunt medullæ craſſitie arundinibus Hiſpanicis ſimiles, paulo tamen tenuiores, virides adhuc lentæ inflectuntur ad ſtanni modum, aut ad inſtar ſalicis, foris punctis notatæ ſunt verſicoloribus, haud ſecus ac ſi arte ita pictæ forent; Vtuntur iis in Luſitania mulieres vetulæ pro ſcipionibus, quibus greſſus titubantes ſuſtentent. Eſt & aliud genus eiuſdem arundinis in Bengala, *Rota* vocant, quod gracilius & ſuccinctius eſt, viminis ad modum flexile. ex eo fiunt calathi; & alia multa pulcherrima. Atque hæc de *Bengala* ſufficiant. deinceps reliquam littoris oram legentes deſcriptionem eius continuabimus.

CAPVT XIX.

ARGVMENTVM.

Araca prouinciæ litus, item litus regnorum Pegu & Sian vſque ad Capo Singapura, & ad arcem vrbemq; Malacenſem pertingens.

REgna *Aracan* atq; *Pegu* proxime ſita ſunt ad fines *Bengalæ*, vbi initium ſumentia, littora ſua porrigunt inter Eurum & Euroauſtrum, vſq; ad ciuitatem portumq; *Martauan*, qui eſt in prouincia *Pegu*, diſtatq; milliarib. 70. à *Bengala*, ſitus ſub 16. gradu à quo prouincia *Sian* incipit. Vtrunq; regnū tam *Aracanum*, quam *Peguanum* abundant rebus quibuſcunq; neceſ-

ſariis

fariis, prę̃sertim auro atque gemmis: inuenias enim illic rubinos, ſpinellos, Saphiros, hyacinthos, roballos, granatos &c. vti teſtatur quotidiana experientia. nec enim aliunde plures in totum orbẽ inuehuntur. Præparatur ibidem *lacca*, quo nomine dicunt ceram Hiſpanicã in tanta copia, vt toti orbi ſufficiat. alunt præterea hæc regna tot Elephantes, quot in oriente alioquin non inuenias. Luſitani ea regna quotidie frequentantes certo affirmant, Regem *Peguanum* habere Elephantem totum colore candidũ, quem tanquam ſacroſanctum ſupplex veneretur.

Gemmæ.

Lacca ſiue cera Hiſpanica.

Elephantes.

Mos eſt apud *Peguanos*, vt aduenas negociaturos interrogent, quandiu illic hęrere velint. qui ſi certum tempus definierint, offerunt ipſi puellas nubiles complures, ex quib. vnam ſibi ſeligens aduena cum parentibus illius contrahit certo precio pro retinenda ea ſecum, donec ibi manſerit ſoluendo inito cõtractu. hoſpes puellam domi ſuæ retinet, quæ & ancillæ & vxoris partes obit. vnum hoc incumbit contrahenti ſerio, ne adulterium cum aliis aut fornicationem committat. deprehenſus.n. in certum diſcrimen veniret. elapſo manſionis tempore ſoluit amicis aut parentibus puellæ, quantum ex pacto debet, digrediturq; bona venia. puella æque proba & honeſta ac prius redit ad parentes, nec vlla ex parte deterior putatur, nec turpior. Quod ſi poſtea puella ea de ſponſetur marito, iſq; vel totius regni princeps fuerit, & aduena cũ quo prius conſueuerat in eum locũ aliquãdo reuertatur commoraturus ibidem denuo ad tempus, tum iterũ petit ſibi pactam prius puellam tradi, quæ abſq; vlla mariti legitimi tergiuerſatione, & omni abſq; infamiæ nota aduenam ſequitur, illiq; adhęret, quandiu præſens adeſt: quo iterũ digrediente ipſa maritum repetit. Atq; hic mos apud illos pro inuiolabili ſtatuto inualuit. Præterea ſi quis ſpõſus alicuius ſtatus graduſue, vel etiã parentib. nobilib. prognat⁹ fuerit, huic deligunt aliquem ex aduenis, ſollicitantes eum precib. vt primã noctem cum ſponſa cubare, eamq; deflorare dignetur, offeruntq; illi honorarium ſatis honeſtum, ducentes id magno honori atq; *beneficium amplum interpretantes*, quod nimirum tanto labore & moleſtia per ipſum ſubleuati ſint. atq; hũc morem nõ nobiles tantum ſed & ipſe rex obſeruat religioſe. Multi ex *Peguanis* ad caput pudendi appendunt nolam vnam, alij duas, iuglandium magnitudine, traiectas inter cutem carnemq;: quales *Doct. Paludano* mecũ ex India allatas obtuli: nolæ eæ ſuauiter admodũ reſonant. atque conſuetudo earũ appendendarum ex eo inualuit, ꝙ *Peguani* Sodomitico peccato vt plurimũ dediti ſunt. nolę itaque appenduntur, vt eo impedimẽto interpoſito, illud tutius declinẽt. Feminæ & puellæ nudæ incedũt, duntaxat ad pudenda conciſum habẽtes ſuccinctoriũ, ꝙ inter eũdum in anteriori parte ventilando fathiſcat, detectis ſępe ex parte, ſæpe ex toto ipſis etiam pudendis. quod eo fit, vt viros in libidinem & amorẽ ſui pelliciãt horrendumq; Sodomiæ peccatũ deuitet. Sunt quidã inter *Peguanos*, qui filiabus recẽs natis pudenda filo cõſuant, relinquentes duntaxat foramẽ admodũ anguſtum ꝑ quod veſicã exonerent, adultis deinde & deſpõſatis ſponſus futurã aperit cultro præacuto, eãque ea forma & amplitudine ſecat, qua & maxime ſibi apta fiat. nec lurida nimis hiet: vulnus inciſum curant peculiari vnguento. Vidi ipſe eiuſmodi mulierem in aula, cui Archiepiſcopi Chirurgus locos incideret. Res quidem hæc multis conficta videri poſſit, nihilominus tamen nuda veritas idem loquitur, nec non quotidiana experientia: atque Luſitani inde redeũntes id teſtantur non ſolum, ſed & *Peguani* per Indiam habitantes, qui plærique Chriſtiani facti ſunt, eius rei fidem aſtruunt.

Puellæ aduenis locantur precio.

Sponſus ſponſam deflorari rogat per aduenam.

Tintinnabula in pudendis virorum.

Cur feminæ nudę incedant.

Filiab. pudẽda filo conſuunt, quæ ſponſus apte incidit.

Aracani, *Peguani*, & *Scani*, proportione membrorum & physionomia non multum à Chinensibus differunt, differentia tamen aliqua depræhenditur. magis enim albicant quam *Bengalæ*, magisque nigricant quam *Chinenses*, quorum Icones cum Thomistis coniunximus suo loco requirendas.

Porro reuertemur ad loca maritima, descripturi ciuitatem portumque *Martauan* ad fines regni *Peguani* situm, & cum regno Siano conterminum. In hac ciuitate finguntur in maxima copia vasa illa lutea, quæ Indi *Martauanas* dicunt, & inde in Indiam deportantur: parantur diuersa forma & capacitate, quædam tantæ capacitatis vt sex omas nostræ mensuræ (vulgo plaustrum & Germanis ein fuder) capiant. Causa cur in tanta copia fiant, est, quod in ædibus priuatis per Indiam passim reponantur, & quod in nauibus loco doliorum sint, dolia enim non habent, nisi quæ ex Lusitania aduehuntur. Vasa itaque ea fictilia recipiendo oleo, vino, aquæ, & eiusmodi liquidis sunt, quæ incorrupta in iis cum peregrinātium magno commodo asseruantur, eorum non pauca in Lusitaniam deferunt dum in nauibus suis ministeriis fungentia reponuntur.

Martauanas vasa lutea.

Incipit littus terræ *Sian*, ad portum Martauan, protenditurque inter Eurū & Euroaustrum per 220. milliaria ad caput Malacæ vsque ad dictum caput *Singapura*. Quod si versus eandem plagam iter à *Martauan* instituas ad vrbem *Sian*, quæ est ad alterum latus continentis, numerabis milliaria 70. Si vero per mare curras littus ad *Singapuram* vsque recto ductu excurrit, inde in continentem vergit ad prædictam vsque ciuitatem *Sian*. Apex illius terræ instar brachii in mare protenditur, cuius anguli procurrentis littora lateralia vtrinque inuicem distant milliaribus 50. & nonnullis in locis milliaribus 10. videlicet ad vrbem *Tauassaryn*, de qua postea dicemus. Hæc terra olim fuit tributaria regis *Siani*, qui tanquam Imperator regna ea simul sub imperio suo continebat, & in hodiernum diem vsque potentissimus est, tametsi rex *Peguanus*, potissimam regnorum eius partem ipsi iure belli eripuerit: ambo enim illi reges continuis inter se bellis dimicant, hostesque capitales etiamnum perseuerant.

Prælium inter Pegu & Sian cruentum.

Anno 1568. aperto marte prælium inierunt cruentum admodum. erant vtrinque in acie multa centena millia hominum, in quo prælio *Siani* victi succubuerunt. Peguani victoria potiti *Sianos* sibi tributarios fecerunt.

Elephas albus.

Causa tanti belli hæc fuit. Erat Sianis Elephas albus, quod cum Peguanis innotesceret, vt qui albos Elephantes sacrosanctos adorent, legatione ad regē Sianum missa cum maximis muneribus Sianis precium pro Elephante albo tantum, quantum ipsis Sianis vel maximum videretur, offerunt, verum Siani petitionem Peguanorum detrectantes nec prece, nec precio, nec vllis muneribus adduci potuerunt, vt Elephantem eum Peguanis concederent. Id dolens Peguanus & furore concitus omnes vires suas cogit contra Sianos, & non Elephante modo vi potitur, sed & ipsos Sianos sibi tributarios facit. Ex eo Sianus diminutus potentia sua, non tantum regni sui detrimentum passus est, sed & alii reguli, qui antea tributa eidem pendebant, obedientia debita eum frustrantur. ij enim in libertatem se asserentes, sui se iuris faciunt. qua de re agetur in subsequente descriptione locorum regnorumque maritimorum. Prouinciæ eæ dicuntur generali appellatione *Sian*, tametsi sint regna diuisa & suis peculiaribus nominibus distincta. *Sian*, *Benzoi* habet copiosum, quod inde *Malacam* defertur, vnde in terrarum orbem vniuersum vehitur. Exigua est inter Sianos & Peguanos differentia, quantum ad corporis constitutionem, vti nec à Malacensibus nec à reliquis finitimis multum differunt.

Benzoi.

Tanassaryn ciuitas.

Si à *Martauan* perrexeris secus littus in Austrum per milliaria 60. & inde in Eurum deflexeris per triginta milliaria, littus sinuoso flexu inter duas insulas medium extenditur ad vrbem *Tanassaryn*, quæ est sub 11. gradu. hoc in loco terra transf-

sa transuersim ab vno littore ad alterum non patet vltra 10. milliaria in latum. Lusitani eam vrbem mercibus suis admodum frequentant, & eodem quotidie appellunt naues merces ex Sian & Pegu aduehẽtes. est.n. veluti portus totius prouinciæ. Est ibi vinũ in copia ex nucib. Indicis, *Coquen* dictis præparatũ. *Nype de Tanassaria* vocãt, quod idem sonat ac si dicas vinum sublimatum ex Tanassaria. neq; aliud est, quã aqua destillata ex nucibus Indicis, sua virtute & efficacia cum vino nostro sublimato optimo cõferendum. *Nype* vulgo dicitur: sed & aliis in locis idem destillatur, maxime *Goæ*, verum *Tanassariæ* præparatum & efficacius & preciosius præstat. ob id per diuersa regna in vasis fictilibus maioribus *Martauan* inuectum diuenditur. Mulieribus Indicis gratissimũ est, quo se largiter sæpe proluunt, sed verecundia motæ ab eo viris præsentibus abstinẽt, clam libere indulgent huic potioni. Hodie *Tanassaria* est regnum peculiare, sed olim tributaria, fuit regi Sian, pergendo à *Tanassaria* per milliaria 20. in Africũ ventum, sinumq; eum atq; per medias insulas euadẽdo, littus in Austrum pergit vsq; ad Ciuitatem & regnum *Queda* 60. milliaribus numeratis, ea ciuitas est sub gradu 6½. estq; regnũ peculiare non minus atq; *Tanassaria*. Æque etiam vino siue *Nype* suo abundat, quin & piperis aliquis ibi prouentus erit. A *Queda* regno in Euroaustrum secus litus ad 40. milliaria *Pera* ciuitas cõsurgit, vbi *Calaen* metalli genus in copia est, stanno non absimile. Idem affertur ex *Gunsalan*. is locus porrecto littore in Thracium ventum adest 30. milliarib. à *Queda*, sub 8½. gradu positas. Pergendo vlterius à *Pera* secus per milliaria 30. in Euroaustrum adest ciuitas & munitio *Malacca*, sita sub 2½. gradu, ad latus boreale. inde vlterius in austrum procedendo aderit finis huius prouinciæ sub primo gradu desinens, quem *Capo de Singapura* vocarunt.

Nype siue vinum ex nucibus Indicis.

Mulieres vino deditæ.

CAPVT XX.

ARGVMENTVM

Malaca ciuitas eademq; munitio hoc capite ob oculos ponitur.

MAlacam promiscue habitãt & Lusitani, & indigenæ, quos *Malaios* vocant; habent ibidem Lusitani munitionẽ, quem admodum & in Mossambica, quæ reditibus suis proxime ad Mossambicẽsem, Armusiensemq; accedit, longe opulentissimas totius Indiæ præfecturas. in ciuitate *Malaca* residet Episcopus eius loci, quemadmodũ & Cochini suum habent Episcopũ. sunt autem tum hi tum cæteri per Indiam Episcopi sub Archiepiscopo *Goæ*, tanquã suffraganei. Est ibi Emporiũ totius Indiæ, quo Chinenses, & qui insulas *Moluccas* habitant, quiq; reliquas adiacentes insulas incolunt, negociaturi cũfluũt. instituitur ibi negociatio frequẽtissima per naues quotquot ex *China*, *Molucis*, *Banda*, ex insulis *Iaua* & *Sumatra* aduehuntur; quotquot item naues ex *Sian*, *Pegu*, *Bengalen*, *Choromandel* &c. soluũt, ex quib. sane locis frequentissimæ hinc inde cõmeare solent quotannis, quæ tandem *Malacæ* appellentes cõtrahunt cum quibuscunq; totius orientis nationib. Habitant ibidem Lusitani nõnulli cum vxoribus & familiis, quorum vix sunt centum numero. conueniunt autem complures eô negociationis ergo, vel ad *Chinas*, *Moluccas*, alioue nauigaturi, aut inde hac appulsi respiraturi, ventosque oportunos nautis *Monsoyns* dictos hic operientes. Sunt *Monsoyns* certi quidam venti, suo tempore spirantes, quibus secundis hinc inde nauigare licet. causa raritatis Lusitanorum in Malaca ab aëris intemperie dependet. aer enim tum aduenis tum indigenis admodum est noxius.

Quot-

Quotquot eo deferuntur ad tempus commoraturi, plerunque vel cum aduersa valetudine conflictantur, vel omnino extinguuntur: si qui euaserint, habent quod DEO acceptum ferant. vnde locus ille vitatur quantum potest. at quia peroportunus est negociantibus, & multi rem ibidem cum maximo cōmodo faciunt, homo animal audacissimum, nihil lucri causa intentatum, nihil inaccessum relinquit, securus & vitæ & periculi. atq; hinc fit vt Malacæ tot tamque variæ nationes confluant, quot nullibi locorum per totam Indiam. Terra ex se sterilissima est, aliunde tamen afferuntur quæcunque vitæ necessaria vberrime.

Nauis Lusitanica quotānis vna.

Quotannis eô appellit nauis vna Lusitanica, mense vno integro prius soluēs è Lusitania quam cæteræ Indiam meditantes. dicta nauis cursum suum in Indiam non tenet, nisi extrema necessitate adacta in Mossambicam compellatur. Ea nauis Malacæ oneratur, auehitque inde tantas diuitias in Lusitaniam, quantas vix vlla ex India soluens. Narrant *Malayos* Malacæ incolæ, paucos ante annos *Malacam* ciuitatem primordia sumpsisse, quæ prius campus & locus desertus fuerit, sex septemue casis piscatorum palantibus duntaxat notatus, in quibus piscatores scilicet pauperculi misere vitam ex piscatione sustentarent. locus enim ob aërem minus salubrem inhabitabilis erat. tandem eô conuenerunt piscatores aliquot ex *Pegu, Sian, Bengalen,* atque aliis circumiacentibus regnis, piscationi quotidie intenti, qui priuatim consilium capientes qua ratione & via ciuitatem nouam ibi excitarent, atque suo iure libere perfruentes in ea dominarentur, non vrbem tantum & statuta noua condiderunt, sed & linguam sibi peculiarem, ne videlicet cum vicinis aliquid cōmune haberent, commenti sunt. discrepant enim à vicinis in omnibus, atque vt in lingua idem fieret, selegerunt sibi ex diuersis vicinorum idiomatibus optimas quasque voculas, idioma sibi linguamque propriam concinnantes. Vrbi nomen fecerunt *Malaca*, quæ breui in tantum creuit, & ob loci commoditatem à negociantibus adeo frequentata est, vt in regnum euaderet, quod cum optimo quoque adiacentium certaret. Lingua ea *Malayo* vocata præ aliis omnibus in oriente celebratur. Sunt autem ipsi *Malayos* vtriusque sexus luxui & amoribus deditissimi, videnturq; sibi præstantissimi omnium hominum quotquot sub sole viuunt. Sunt ingeniosi admodum, studiosi poeticarum inuentionum, comœdiarum, cantilenarum venerearum, meditantes poemata elegantissima, è quibus sibi famam nominisque celebrationem magnifice promittunt. Si quis in India linguæ *Malayos* ignarus fuerit, is rudis habetur ac stupidus, non secus ac qui Gallicam linguam apud nostrates ignoraret.

Malacæ primordia.

Malacca linguam peculiarem habet.

Malayos ingeniosi poetæ.

CAPVT XXI.

ARGVMENTVM

Sumatra Insula, olim Taprobana dicta, in hoc describitur capitulo.

Sumatra, Chersonesus aurea.

RECta ex opposito Malacę in Euroaphricum ad 10. milliaria à continente, in eo videlicet loco, vbi fretum est angustius, exerit sese Insula, quę olim *Taprobanæ* nomine insignis fuit, hodie *Sumatra* dicta, à quibusdam vero historicis, *Chersonesus aurea* appellatur: sunt qui dicant *Ophir* esse, vnde *Rex Salomon* aurum templo ædificando acceperit, qua de re in sacris literis agitur: rursum alij affirmant eandem olim fuisse cum continente Malacæ.

Insula


Cum sæpius in hac Tabula reperias Puro notandum Puro idem significare quod fretum ut Cinca Puro id est fretum Cinca quod oppidum est Tanjampuro et alias multa
Pulo Champida abundan fructibus et aqua recenti, attamen inhabitata
Bancalis oppidum piscibus abundan adeo ut cum sal aduehitur ad piscis ouuum saliendum é uno se effici possint
Cum sepius hic occurrat P, sivæ Pulo, sciendum, Pulo lingua Malaijca insulam signi ficare.
Hispanicæ leucæ 17 ½. uni gradui competentia.
10 20 30
Miliaria Germanica, quorum 15. uni graduo respondent.
10 20 30
CHERSO NESE
Aurea
Acquinoctialis
IAUVA
Pulo Messna
Pedir
Achen
Daija
Pacem
Ambara
Aqui Seperdeo Afonso d'Albuquerque
Pulo Boton
Cuda
Teraon
Barnar
Gusalan
Pulo Sambilaon
Bera
Solongior
Patane
P Capa
Patingara
Paham
Costa de Pracel
Isola Daru
Teera Daru
P Dos Lamoes
Ysla Douro
Baixos de Tristan de Tanda
Baixos
Biraen
Macopa
Tanjam
P Parcelar
P Tiga
Malacca
R. Formeso
Muar R
Muar
Jcor
Padraen
P. Pi caon
P Champida
Banca lis
P Sabaon
Estrecho de Sabao
P Pandelia
Bintan
Siaqua
Saydo do Canal
Campar
Andragiri
Jambe
Acalan tigas
Speriamon
Baros
Telonbuuan
Batto maye
Palimbam
Bocas de Palimban
C de Lazapara
Sayda do Canel
Lampaon
Sumor
P Tonda
P. Pari
P Panjan
P Dua
Dampin
P Sahangi
P Carcata
Pulo Pugniatan
Palimbam
Webongor
Issesucar
Junculan
Manancabo
Anarelhas
Andepuro
Ysla Douro
Das Correntes
Golpho de batalha
Ticos
Batambas
Linga
Banca



Nova tabula Insularum Iavæ, Sumatræ, Borneonis et aliarum Mallaccam usque, delineata in insula Iava, ubi ad vivum designantur vada et Brevia scopulique interjacentes descripta a C.M.A.L.
Neuwe vnd Eijgentliche Furbildung, der Jnseln Java, Sumatra, Borneo, bis gen Malaca, mit alen vmligen: den kleinen Jnseln, Corect vnd mit gansem fleis in der Jnsel Java observiert vnd abgerissen durch G.M.A.L.
P. Tiriaon
Insula haec omni vie tus genere referta est
Hermata
BORNEO INSVLA
Bandermachin
Loue
Rio Succadano Adamantem habet
Puerto Aron
Cabura
Baixos de los Chineses
China bato
Cota barin nin
Tanjampuro
Calandua
Paco
P. Cheri mata
Frenetuum copia sed Cocos
de Manepin
Macasser Ins
Macasser
Bogis
Chirimao Laua
P. Lebock
Madura Insula
P. Manianac
Pamabavo
Madura
Charabaan
Taggal
La Sam hic multa conficiuntur naves
Japara
Rauma
Pati
Mandalicaon
Tabaon
Cidago
Brandaon
Surubaya
Gerrici
Joartaon
Juanna
Daya
Passaruan
Panaruca
Chiandana
Balla bugm
Fidayda
Bali Ins.
P. Adanh
Pulo Rossa
Core
Bima
Cambaua
Cambaua Insula
INSULA.

Insula ea ex aduerso *sinus Bengalæ* posita, incipit sub primo eius puncto, sita sub quinto gradu boreali, porrigiturque à *Malacca* in Euroaustrum vsque ad Insulam *Iaua maior*, vbi sub 6. gradu. australi desinit, longitudine ad 170. milliaria, latitudine vero ad 60. pertinet.

In hac insula Lusitanorum nihil proprium est, negociãtur duntaxat in quibusdam locis, parcius tamen, siquidem indigenæ ipsi omnis generis merces Malacam deuehunt. Habet insula regulos complures, qui vero reliquis imperet, est Rex *de Dachem*. Dachem ciuitas est, ad primum punctum insulæ, sub 4½. gradu boreali. Rex iste *Dachem* inter reliquos potentissimus est, & Lusitanorum hostis implacabilis. Malacam sępius obsidione cingens misere afflixit, & quidem eo ipso tempore, quo in illis terris viuebam. obsidebat tum itinera ne commeatus illis adueheretur, nauibus etiam cursum inter *Malacam* & *Sumatram* præcludebat: vnde naues quæ ex *China*, *Iaponia*, & Moluccis soluissent in ambitum nauigare cogebantur, quando in loca periculosissima delatæ sæpe maximum mercatoribus ad quos pertinebant, detrimentum attulerunt.

Rex Dachem hostis Lusitanorum.

Malacenses & Indi complures triremes in eo freto tum habebãt, quas Christiani quidem apostatæ, (quales multos ibi reperias) eos fabricare docuerunt, hisce triremibus plurimum damni per mare negociantibus inferentes, mare admodum infestum habuerunt, ope tamen DEI opt. max. & reliquorum per Indiam Lusitanorum auxiliis cursus nauibus, saluo commeatu iterum expeditus fuit, & mare pristinę securitati restitutum. quę singula suo loco plenius enarrabimus. Rex Portugalliæ, & qui locum eius per Indiam tenet Vicerex, iam ante annos complures disposuerunt stipendiarios, qui armata manu insulam *Sumatram* expugnatam occuparent, suntque in hunc diem Capitanei ibidem, qui ea de causa regiis stipendiis fruuntur, at nihil hactenus præstiterunt. minantur continuo ferociter, nullo tamen effectu. Capitaneos de quibus hic sermo est, vocant *Adelantado* siue præfectos eius dispositionis.

Dispositio Lusitanica.

Insula mineris ditissima aurum, argentum & metallum tormentis longe optimis fundendis commodum generat, item ligna fragrãtissima, radices medicas, aliaque eius generis complura. Visitur ibidem mons globos igneos euomens, sulphuris minera nobilitatus. affirmant fontem in eadem esse insula, qui *Balsami* preciosissimi oleo scaturiat: Sericum illis in copia adest.

Montes ardentes.

Balsamum.

In postrema Malacæ obsidione rex *Acheyn*, tantæ molis & longitudinis tormentum ad eam misit, vt simile vix apud Christianos visum fuerit, adeo vt dubites an artem in eo an molem prius mireris. Tormentum id in dotem dabat filiæ suæ desponsatæ regi prouinciæ *Ior*, non procul à *Malaca* ad littus *Sian* sitæ, de qua prouincia suo loco fusius agemus. at Lusitani intercipiẽtes & tormentum & sponsam regiam, adducebant eam in Malacam. tormentum in nauim datum Lusitaniæ regi mittebatur, cuius moles tanta erat vt id in carinam inter saburram necessario reponeretur. idque adeo in hunc diem in insula Medora manet, quod se nauis qua vehebatur, cum nostra classe coniungeret, tum cum ex India domum reuerterer. Adhæc *Ior* ciuitas haud multo tempore post à Lusitanis vi capta & direpta fuit, in qua plus quam 2500. tormenta bellica non vnius magnitudinis & ex ære fusa reperta sunt. eorum quædam sclopeta communia referebant, quædam erant maiora, & arte pulcherrime efformata, insculptis historiis atque animalium plantarumque Iconibus, quæ ideo hoc loco recenseo, vt inde liquidum fiat, eos omnis generis metallis abundare, atque iisdem artificiosissime vti.

Ior ciuitas expugnata & direpta, in qua 2500. tormenta bellica.

Sunt quædam in insula loca, vbi Lusitani negociantur cum Malacensibus: videlicet *Pedir* 20. milliaribus distans ab *Acheyn*, ad littus quod ex aduerso est Malacæ situm. ex eo auehitur aurum piperque in copia. est & *Campar* locus

Pedir.

Campar.

proximus æquatori in eadem insula ad latus australe consurgens. Est & alius locus in ea insula & ad idem latus in occasum vergens, *Manancabo* nomine, vbi pugiones Indis *Chryses* dicti parantur, nec aliud telum est in India quod vel pluris fiat, vel maioris æstimetur, quibus confisi & *Malayos* & *Iauani* præ aliis sese ostentant.

CAPVT XXII.

ARGVMENTVM.

Descriptio insulæ quæ Iaua Maior dicitur, item quæ sit mercium & negociationis ratio, quæ pondera, quæ monetæ, quis valor earum & alia quædam particularia.

IAua maior est precise ex aduerso vltimi puncti insulæ *Sumatræ* ad littus australe S.S.O. in Euroaustrum. Inter *Iauan* & *Sumatram* fretum est angustum, *fretum Sundæ* vocant, quoniam *Sunda* in Iaua sita non ita procul inde abest. Incipit insula sub 7. gradu boreali porrigiturque O.Z.S. in ventum qui inter Eurum & Subsolanum medius est, ad 150. milliaria, latitudo eius hactenus incognita à nullo prodita est, neque incolæ eius rei vllam notitiam habent. Sunt qui continentem putent, eamque ad terram incognitam vltra *Caput bonæ Spei* ad antarcticum vsque pertinentem existimant, at enim quod de eo dubium sit, pro insula habetur interim.

Lignum in lapidem mutatur.

Affirmant eius loci incolæ, flumen per eam terram labi, in quod si ligna quæcunque immergantur, mutari ea in lapides.

Neque ita diu est quando Capitaneus Anglicus *Thomas Candisch*, per fretũ illud nauigarit, soluens ex noua Hispania, cursumque per australe mare tenens. Abundat insula oriza & reliquis vitæ necessariis, vtpote porcis, ouibus, gallinis, cæpis, allio, *coquen*, nucibus myristicis, macere, quæ omnia Malacam auehuntur. portus insulæ primarius est *Sunda calapa*, vnde fretum denominatur. abundat in *Sunda* piper, quod & Indico & Malacensi præstat, crescitque in tãta ibi copia, vt quotannis quater quinquiesue mille centenarios auehant. abundat ibidem thus, *benzoi de Boninen*, quod *fœlie* dicunt, abundat & Camphora. inuenias ibidem & adamantes, liberumque est illic negociari nullo prohibente, nec enim ibi sunt Lusitani, & Iauę incolę: per se veniunt negociationis ergo Malacam, vbi merces suas distrahant.

Hoc loco operæ precium duxi à proposita materia aliquantisper digredi, & breuiter exponere, quæ ibi sit negociationis, quæ mercium monetæ, ponderumque ratio; siquidem de *Iaua* agentes percommodum erit ob negociationem ibi liberam, mercatoribus in eo gratum oportunumque facere.

Moneta cuprea.

In Sunda non habent aliam pecuniam nisi vnicum monetæ genus ex cupro, quod *Caixa* vocant, magnitudine grossum Saxonicum referens in ambitu, crassitie eius grossi vix media. cuius in medio foramen est filo inducendo aptum. siquidem communiter ducenta, aut mille vno filo traiiciunt, quibus ita connexis, rationes suas instituunt sequenti modo; *200. Caixas* faciunt Satta vnum. *quinque Satta* faciunt mille *Caixas*, idem facientes quod cruciatus Lusitanicus aureus, siue tres Carolini argentei apud Belgas. Piper Sundicum saccis dimẽsum venditur, saccus vnus 45. *Cattos* Chinenses pendet, pendet *Cattus*

vnus, 20

vnus, 20. vncias Lusitanicas. Saccus quilibet piperis Sundici si vilissime venit, soluitur quinquies mille *Caixis*, sin precio maximo ematur constabit sexies septiesue mille *Caixis*. Macis (illi *Massa* & *fœlien* vocant) item Caryophylla, nuces myristicæ, Benzoi album nigrumque, Camphora &c. venduntur per *Bahr*, pendet autem quodlibet *Bahr* Sundicum *Cattos* Chinenses 330. Macis selectum facit in moneta centum & viginti *Caixas*. Caryophyllorum optimorum non idem est precium. Viliora Caryophylla, quæ *Baston* vocant, valet *Bahr* septuagies aut octuagies mille *Caixas*. *Bahr* nucum myristicarum nonnunquam vicies, nonnunquam vicies quinquies mille *Caixis* venditur. *Benzoi* albi & nigri venditur *Bahr* vnum 150000. siue 180000 quin 200000. *Caixis*. solet permutatio cum iam dictis mercibus atque aromatibus ita institui. Permutant pro illis telam bombacynam omnis generis omnisque coloris ex *Cambaia*, *Choromandel & Bengala* aduectam, qualis est, *Sarasses de Gabares*: permutant & tapetes pictos ex S. Thomæ prouincia, quinque vlnarum. atque telæ eædem vocantur, panni. Ex *Bengala* affertur alba tela bombycina, qualis est *Saramburas*, *Cassas*, *Sateposas*, item *Satapasen*, & lintea quædam cruda adhuc, necdum sole dealbata. ex *Cambaia* affertur *Cannequyns nigrum*, *Turias rubrum*, quæ sunt genera pannorum bombycinorum; affertur & *Beyramen rubrum*, diuerso filo, non absimile telæ peplorum Cameracensi. sane quantum ego assequor, in ea sum sententia, telam nostram lineam pluris apud ipsos fore, quam bombycinam ex India ipsis allatam, modo & hæc ad ipsos importetur. Natio *Iaua* à natura malitiosum, inuidum, pertinax & inuisum genus est. colorem eundem habet cum *Malayos*, ex rubro & nigro, haud multum absimiles sunt Brasiliensibus, firma & compacta corporis compositione, non proceri, non humiles nimis, musculosi, facies plana, genæ pendulæ turgentes, torua & magna supercilia, oculi angusti, barba rarissima trium quatuorue capillorum, partim in superiori partim in inferiori labio, enatorum, eorumque nigerrimorum, in capite capilli rari perbreues & æque nigerrimi. ipsorum effigiationem Lector habebit appositam ad *Malayos*. conuersantur enim frequenter habitantque promiscue.

Si idem littus O.Z.S. in ventum qui est inter Eurum & Subsolanum medius, sequaris per milliaria 25. aderit tibi *Iaua* minor, quæ est ex opposito Maioris Iauæ; quod si vlterius pergas *Timor*, insula occurrit, crescit ibi Sandalum in maxima copia. adiacent in ea vicinia innumeræ aliæ insulæ, à nullo hactenus visitatæ, populosæ tamen & mercium preciosarum fertilissimæ non minus atque *Iaua vtraque*. Qui Malaca soluunt, cursum suum tenent ad insulas *Molucas*, *Banda*, & *Amboyna*, in quibus Lusitani suas habent munitiones & Capitaneos, negocianturque hinc inde. Qui *Malaca* soluunt, S. O. Z. S. in Euroaustrum atque Phœnicem vela faciunt vltra milliaria centum, tenentes cursum medium inter insulas plurimas. locis passim arenosis interpositis, vnde sæpius in extremo discrimine versantes sub quauis nocte in anchoris stare coguntur donec *Moluccas* in conspectu habeant. profecti ad milliaria centum, O, & O, Z. N. in Subsolanum & illi collateralem nauigant per milliaria 250. ad *Bandam* insulam. Negociantur Lusitani in insula *Banda*, siquidem in ea & plurimæ & optimæ nuces myristicæ, macisque proueniunt. præparantur ibidem Conseruæ & Confectiones ex nucibus myristicis, fit & oleum ibi tam ex nucibus, quam ex foliis myristicis, quod Malaccam & inde per quęcunque alia loca deportatur. præcipua negociatio hoc in loco fit permutatione, vt & *Sundæ* & *Iauæ*. Insulanis nulla omnino fides habenda est, & diligenter cauendum ne naues propius appellant. negociantes continebunt se

Banda Insula.

 in naui-

in nauibus,ad quas Insulani scaphis appropinquantes merces aduehant, eoque modo contrahant permutandis in vicem mercibus. Nec enim recens est quod Lusitani ab insulanis decepti credulitatis suæ pœnas dederint. & euenit ita meorum cuidam amicorum Capitaneo tũ nauis suæ,qui propius accedens nauem amittebat. & ipse cum sociis captiuus in biennium affligebatur ibi miserrime,nec nisi soluto redemptionis precio tandẽ libertati restituebatur. Notandum autem eas nauigationes, quæ *Bandam, Moluccas* & *Iauas* versus instituuntur,non nisi regis permissu atque ex singulari gratia cuiquam patere, & ea quidem gradia nisi in India stipendia facientibus,aut officiatis emeritisque in recompensam contingit,de quo suo loco agetur.

Ex *Banda* soluentes cursumque N.VV.in Thraciam ventum ad 20.milliaria tenentes ad insulam Amboynam deueniunt,in qua Lusitani similiter habent munitionem,sed satis exiguam.aromata parcius ibi proueniunt,naues tamen à *Malaca* ad *Moluccas* velificantes appellunt ad eam vt respirent & reficiantur necessariis,progressis ex *Amboyna* vlterius in boreã,ad milliaria 70.insula *Tydor* apparet ferme sub primo gradu boreali. atque hæc prima ex *Moluccis* occurrit. In boream vlterius procedẽdo per milliaria sex, *Molucco* adest, nec procul inde *Tarnate* atque reliquæ insularum,in quibus Caryophylla tanta cum vbertate proueniunt.

Amboyna.

CAPVT XXIII.

ARGVMENTVM.

Moluccæ Insulæ hoc describuntur capite.

Molucco. Tornate. Tydor. Geloulo.

QVinque numerantur insulæ generali nomine *Moluccæ dictæ, Molucco, Tornate, Tydor, Geloulo*, & alia, cuius nomen nunc non succurrit. Lusitani has insulas ante annos complures detectas occuparunt, in quibus ex India atque Malaca negociantur. Idem etiam tentarunt Hispani non sine ostentatione,& cursum quidem ex Hispania noua eô tenentes appulerunt ad *Tornate*,vbi naui ventorum turbine disiecta & amissa necessario illis remanendum fuit; quos cum Lusitani haberent in manibus, plærosque occiderunt, paucos quosdam captiuos in Lusitaniam miserunt. quod accidit eo tempore quando reges illi potentissimi, Hispaniarum scilicet & Lusitaniæ,inter se propter maris & detectarum prouinciarum iurisdictionem diuisionemque graui duello inter se dissiderent. illud Pontifex deinde diremit, ita vt Lusitanus per Orientis insulas detectas perque mare quod ab illo meridiano in orientem patet, solus dominaretur.

Caryophylla in maxima abundantia. Montes ardentes.

Insulæ *Moluccæ* præter Caryophylla nihil ex se habent, at Caryophylla in tanta copia, vt vniuerso orbi implendo sufficiant. Sunt in his insulis montes ardẽtes, terra sicca & calidissima est, nec alia habent victualia præter pisces & carnes, Orizam, siliginem, cepas, allium & eiusmodi alia vitæ necessaria partim à Lusitanis, partim à vicinis petunt quę ex permutatione suppetunt, panis quo victitant ex radicibus pinsitur, qualis est Brasiliensium. habent vestimenta ex stramine seu herbis miro artificio atque pulcherrime contortis.

Passeres solis siue Paradeiß vogel.

Aues Lusitanis *Passaros de Sol* dictæ, non nisi in his insulis habentur, germanis corrupto vocabulo vocantur Paradeißvogel, habent tam speciosas plumas vt quas-

vt quaſcunque alias pulchritudine ſuperent. Viuas eas nemo vidit vnquam, mortuæ in has inſulas delapſæ ab inſulanis conquiruntur. volant vt fama eſt, non niſi in Solem, & viuunt ex aere, nunquam in terram ſubſidentes. nec enim pedes, nec alas habent, ex ſolo capite & ventre conſtant. corporis pars maxima in cauda conſiſtit, vt apparet in iis, quæ in Luſitaniam afferuntur ex India, paucæ quædam ad nos veniunt, idque raro admodum, ſunt enim & rariſſimæ & maximi precij; duas ipſe mecum inde auexi, marem & femellam. circa oras haſce ſparguntur inſulæ complures, de quibus nihil magnopere conſtat, ſiquidem à noſtris non viſitentur. Eas itaque & hic prætermittentes, ad Malacæ littus reuertemur, à quo *ad Capo Singapura* ante digreſſi ſumus, deſcriptionem noſtram ex inſtituto continuantes.

CAPVT XXIV.

ARGVMENTVM.

Capo Singapura ad terram Sian vergens, littuſque Camboia, atque Cauchinchina: Inſulæ item Borneo, Lyſſons, Mamillios ſiue Philippinæ ſequenti deſcribuntur capite.

A *Capo Singapura* ad vſque cuſpidem in ortum prominentem, *Sinoſura* dictam, numerantur 18. milliaria, inde ad ſex ſeptemue milliaria in mari ſunt ſcopuli. quos *Pedrabianque* vocitarunt, ſiue petras albas, eo in loco naues ex China ſoluentes non raro in extremum diſcrimen adducuntur, multis pereuntibus.

Naucleris itaque accurate ibi attendendum, ne naufragium patiantur. neceſſario enim illis iſthac tranſeundum eſt, nec deflectendo curſum, in ambitum nauigare datur.

A *Capo Singapura* O.Z.S. in Subſolanum perges milliaria 40. & deuenies ad cuſpidem Inſulæ *Borneo*, quæ eſt ſub primo gradu boreali, porrigiturque ad 120. milliaria ſub 7 gradu. latitudo eius adhuc latet, nec enim à quoquam hactenus inquiſita fuit.

Inſula arboribus Camphoriferis refertiſſima eſt, neque in Orientali ora precioſior habetur Camphora. Littus à *Sinoſura* per triginta milliaria ad *PAN* vrbem ſub $3\frac{1}{2}$. gradu ſitam pergit. inde recta per 10. milliaria procedendo littus N.VV. in Thraciam ventum deflectit, per 50. milliaria: ibi vrbs *Patane* conſurgit ſub $7\frac{1}{2}$. gradu. Sunt autem *Pan* & *Patane* vrbes, ſingula regna regi *Sian* tributaria.

Arbores Camphoriferæ.

Lignum quod *Pala Dagula* vocant, hinc petitur: item fragrantiſſimũ, precioſiſſimumque illud lignum *Calamba* quod ſi non adulterinum fuerit pari precio cum auro appenſum venditur. Eſt & *Camphora* ibidem, verum non eius præſtantiæ, qua in *Borneo* inſula, habetur ibi & auri aliquid & Lapis *Bezar* vel *Bazar*, contra omne venenum valens. ſunt ibi Adamantes, ſunt nuces myriſticæ, & macis, atque lignum *Sapon*, quod in copia ex *Sian*, affertur haud abſimile ligno Braſilico, tingendis lanis percommodum.

Pala Dagula.

Calamba, æquiualet auro.

Camphora.

Bezoar.

A *Patane* per milliaria centum in boream velificando littus reflectitur ad *Sian* prouinciam, ſub gradu 14½. à *Sian*. hinc ſi ex arcu illo egrediaris per milliaria quindecim S.VV. in Euroaphricum, littus pergit S. O. in Phœnicen ventum per milliaria 70. vſque ad vrbem *Camboia*, quæ eſt ſub 10. gradu. hinc iterum littus per milliaria 60. N. O. in Aquilonem, & iterum per 60. milliaria N. VV. in Euroaphricum pergit; inde VV. N. VV. in Corum ventum ſiue Iapygem vſque in medietatem arcus marini, qui eſt ad *Cauchin Chinam* recta procedit. dicitur hoc littus *Camboia* & *Chamapa*. atque in hac terra prouenit flagrantiſſimum lignum *Calamba*, copioſiſſimũ. *Flumen Mecon* hanc prouinciam inter ſecans in mare influit, atque Indi illud flumen caput & regem reliquorum fluuiorum omnium vocarunt, ſiquidem vndæ tam prodigum eſt, vt totam eam prouinciam per æſtatem inundet fœcundetque non ſecus atque Nilus Ægyptum ſuam.

Calamba copioſum. Mecon flumen Nilo par inundatione.

Incolæ prouinciæ *Camboiæ* in ea ſunt opinione, omnes pariter creaturas rationales atq; irrationales, cuiuſcunq; ſpeciei demum fuerint, tandem factorũ præmia recipere, prout bona malaue in vita operati fuerint. qui continentem poſt *Camboiam*, poſtque *Sian* peragrare voluerint, varias nationes videbunt, inter quas ſunt *Laos* dicti, gens populoſa & potentiſſima. item *Auas* & *Bramas* ad montium radices habitantes, ſunt & *Queos* in ipſis montibus degentes beluino more, veſcentes carne humana, & corpus ignito ferro inurentes ſignanteſque, ornatus ſcilicet gratia. Atque hactenus enumeratæ nationes & gentes nauigantibus ſcriptoribuſque huc vſque innotuerunt, reliquæ vero ſunt & aliæ complures, quarum notitia ad nos non peruenit.

Philippinæ pertinent ad Hiſpanos.

Qui à *Camboia* vel *Cambaa* in mare procurrunt in Subſolanum per milliaria 100. vel circiter, obuias habent inſulas *Luſſon* vel *Luſſones*, ad quas Hiſpani ex noua Hiſpania vela facientes primi eas detexerunt, anno 1564. eædem dicuntur *las Mamillias* atque *Philippinæ*, à principali eius loci portu atque ciuitate *Mamillia* denominatæ, ab aliis *Luſſon*, ab aliis *Luſſones* vulgo dictæ. Hiſpani regis ſui Philippi nomen illis indiderunt, *Philippinas* dicentes. Ciuitas *Luſſon* ſiue *Mamillia* eſt ſub 14. gradu. Circa eam vrbem viſuntur aliæ inſulæ innumeræ, quæ omnes generali appellatione *Mamillias Luſſon*, ſiue *Philippinæ* veniunt. Hiſpaniarum Regi ſimul ſubiectæ, cuius Gubernator in vrbe *Mamillia* reſidens regis vices obit, adeſt ibidem Epiſcopus peculiaris, qui & caput & princeps per eas inſulas ad clauum ſedet.

Non ita ante multos annos dictæ Inſulæ ſimul ad regnum & coronam Chinæ ſpectarunt, ſed certis quibuſdam de cauſis poſtea ab ea receſſerunt, vnde diſciplina & regimine politico collapſo, potentioribuſque in inferiores tyrannidem pro libitu exercentibus in maxima ataxia & ſtatu perturbatiſſimo viuebant, vnde Hiſpanis expeditum & facile fuit illis potiri, quotidie enim cateruatim confluebant, qui baptizati ſe Chriſtianos profiterentur. Terra ex ſe eſt fertiliſſima, ſuaque annona & ſiligine copioſe abundat, alit feras gregatim, ceruos, capreolos, hinnulos. & ſunt ibi armentorum greges, vri, bubali, vaccæ, porci, capræ. Sunt feles ex quibus *Zibettum* fit: fructus varij, & optimi æque atque apud Chinenſes, abundat ibi mel, abundant piſces, & ſunt qui affirment omnis generis aromata ibi prouenire. neque id tamen certo conſtat, ſoli Hiſpani iactabundi in eo videri volunt, quantum quidem mea fert opinio, vt cæteris præferantur. Chinenſes in his inſulis frequenter negociantur, aduehuntque ex China merces quaſcunque, vtpote ſericum omnis generis, goſſipium, vaſa porcellina, genus videlicet vaſculi ex materia fictili puriſſima. aduehunt item puluerem tormentariũ, nitrum, ſulphur, ferrum, cuprum, chalybem argentum viuum, atque alia eiuſmodi metalla.

Item

Item farinam, nuces castaneas, dactylos, telam linteam, scriptoria elaborata & similia tam artificiose elaborata, vt melius fieri posse impossibe sit. Quotannis appellunt eo ex China vel 20. naues, oneratæ mercibus, quas Hispani inde auehunt in nouam Hispaniam, atque in regnum *Mexico*, neque minus frequens est hodie nauigatio ex noua Hispania atque ea, quæ ex Lusitania in Indiam instituitur. Sed reuertamur ad littus nostrum videlicet in medium littoris siue arcus *Cauchinchingæ*, à quo si pergis per 60. milliaria in Subsolanum ad promontorium quod *Terra alta* dictum sub 19. gradu est, regnum *Chinarum* tibi aderit, de quo in specie paulo post agemus.

Sinus iste cuius modo est facta mentio siue maris flexuosi curuatura, terminat prouinciam *Camboiam*, littusque *Champaa*, incipit ibidem terra *Cauchinchina*, quæ pertingit ad regnum vsque Chinarum.

Cauchinchina diuiditur in duo vel tria peculiaria regna, Chinensibus tributaria. habet homines forma, moribus & constitutionibus non absimiles vsque adeo Chinensibus. terra ex se rerum omnium fertilissima est. abundat ibi lignum *Palo Daguilla*, at fragrans illud *Calamba*, item sericum atque aliæ merces non minus atque in China. Hinc nauigantes per 10. milliaria in altum, versus ventum Subsolano collateralem O. Z. S. tenebunt insulam *Aynao*, est autem ea insula siue prouincia ditionis Chinensium. Inter continentem atque hanc eandem insulam vnionum piscatio est, vbi vniones omnis generis capiuntur. Si vlterius nauigatur secus idem littus per 90. milliaria, N. O. Z. O. in ventum qui inter Cæciam atque Aquilonem medius est, occurrit ciuitas *Macavv*, quæ est sub gradu 22½. habitant in ea Lusitani cum indigenis promiscue. A *Macauu* N. VV. in Thraciam ventum sinus maris est plenus insularum, estque in eodem sinu ciuitas *Canton* sub 24½. gradu sita, distans milliaribus 30. à *Mecauu*, quæ est Metropolis prouinciç *Cauchinchinæ*, atque emporium frequentissimum, vbi Lusitani merces à Chinensibus petunt. nec nisi in hoc loco omnis negociatio Lusitanorum cum Chinensibus conficitur.

Margaritarum piscatio.

Macavv.

CAPVT XXV.

ARGVMENTVM.

Fertilitas, Opulentia atque potentia regni Chinarum, atque alia memoratu dignissima ordine hic recensentur.

CHinarum regnum est sub Tropico cancri, littus eius S. VV. & N. O. id est in Euroaphricum & Aquilonem per 400. milliaria porrigitur. ad latus Euroaphrici pertingit China ad regnum *Cauchinchinam*, ad latus N. VV. vero quod Thracium ventum spectat, Tartariam siue Scythiam habet, affirmatur in ea terra quæ à China in occasum vergit, homines colore albos esse, is tractus *Cathai* vocatur. putant aliqui in ea regione plurimos esse Christianos, atq; terrã ad Persarũ regnum vsq; pertingere. Inter Chinæ regnum atque Tartariam murus est perpetuus,

Cathai.

Murus 500. milliaria longus.

petuus, qui vtrunque regnum ab inuicem ſeparat, porrigiturque per 500. milliaria in arcum, quod vt dextre intelligatur, ſciendum vtrunque regnum naturæ beneficio à ſe inuicem ſeparari montibus prçaltis, paſſim vallibus vt fert natura interiacentibus. Valles itaque lacunaſque hiantes cæmentis lapidibuſque explerunt, donec cum montibus complanarentur, atque murus exiſteret continuus, arte naturaque eductus. muri portio arte facta vltra 80. milliaria non capit. dicto muro Chinarum regnum non ſecus atque vallo atque propugnaculis à Tartarorum incurſionibus defenditur. Sunt enim Tartari hoſtes Chinenſium capitales, qui antequã ſtaret murus, ferme totum Chinarum regnum impreſſione facta incautis ipſis eripuerunt, & ad multos annos ſane poſſederunt, vt Hiſtoriæ teſtantur, donec à Chinenſibus iterum expellerentur, regnumque muro circundatum, ſecuras illis ſedes præberet.

Regnum Chinarum habet prouincias quindecim, ſi regnum *Ayano* adnumeraueris, cuique prouinciæ ſua eſt Metropolis, à qua denominatur. Lacus ingens ſiue mare vaſtum eſt in regni medio, ex quo deriuantur fluuij complures per totum regnum diffuſi, alueis tam vaſtis, vt quibuſcunq; nauigiis portandis ſufficiant. Omnis regni fertilitas eſt ex huius lacus inundatione. Ciuitates præcipuæ, vici, pagique potiores ad fluminum ripas conſurgunt. vnde incolis rerum omnium affluentia commoditaſque maxima eſt, dum videlicet vltro citroque nauigationis commoditate perfrui atque inuicem opportunius negociari poſſunt. Tractus ille littoralis longe omnium hodie celebratorum eſt maximus. ad eum porriguntur prouinciæ quinque *Canton* videlicet ſiue *Cantao Chincheo*, quæ aquilonem ſpectat, *Liamboo*, *Nanquin*, ſiue *Nanquyn*, & *Paquia* Thraciam vẽtum reſpiciens, in qua poſtrema eſt aula regia, vbi Rex potiſſimum militum ſuorum ſtipendiariorum numerum ſecum habet, propter viciniores huic prouinciæ Tartaros. Eſt autem ea vna ex optimis prouinciis regni illius, & ob id regiæ aulæ opportuniſſima. Tot in China ſunt naues, ſcaphæ, Bergantinæ, atque alia nauigia ipſis vſitata, per portus, perque fluminum alueos diſpoſita, vt fidem vix mereatur. fama eſt in ſolo Cantonenſi portu, atque ſinu illo plura ſtare nauigia omnis generis, quam per omnem Hiſpaniæ oram inuenias. Tellus ob aëris temperatiſſimam ſaluberrimamque conſtitutionem, alimentorum frugumque feraciſſima eſt, ſiligo, oriza atque alia eiuſmodi legumina ibi abundant, quin per totum anni circulum & ſeritur, atque metitur. in medio regni ſunt Elephantes, leones, Tygres, & feræ aliæ. eſt genus ibi animantis, *Moſſeliac* vocant, ex quo Muſcus colligitur, animal magnitudine catello comparandum, illius interempti cadauer defodiunt ad dies aliquot ſubter terram donec putreſcat, putridum iam effoſſumque plagis tandiu contundũt, donec fiat tractabile, & ſanguis cum carne in vnam maſſam redigatur, ex qua deinde pillulas vnius vnciæ formãt, Luſitanis *Papo* dictas, variis peregrinis nationibus inuehendas. Habent Chinenſes *Algalliam*, habent Ambram abunde item anſeres, gallinas, anates, & altilia ſimilia, quæ gregatim alunt. Equos, ſed Europæis minores, piſces fluuiatiles marinoſque optimos. latent ibi in terræ venis auri argentique ingentes theſauri, qui regum interdicto non effodiuntur, eos in abſcõdito ſibi aſſeruantium. ſi qua ex auro argentoue vtenſilia ſibi comparant, ea aliunde petunt, poſſident autem domi auream argenteamque ampliſſimam ſupellectilem. Argentum pluris quam aurum faciunt; quod aurum aliud alio vilius ſit, nec in certo valore permaneat, argentum vero ſibi ſemper ſimile pretium ſuum ęqualiter perpetuat. habẽt Chinẽſes margaritas in copia, habent & *alioffar* ex prouincia *Aynao*, argentum item viuum, ferrum, chalybem, ſtannum, plumbum, ſulphur, Lithargyrium & eiuſmodi metalla varia. Affirmatur Chinarum regem præter tantas diuitias atque reditus pene

Aula regia.

Nauium copia in Canton.

tus pene inæstimabiles habere in cuiusque prouinciæ Metropoli peculiarem thesaurũ ingentis pretij. Chinensib. tam familiare est serico indui, q̃ apud nos vilissimo linteo obseri. induuntur vestibus sericis talaribus, vestibus item ex *Brocado*, id est tela ex filis aureis argenteisue intertexta atque arte phrygia scitissime picturata, sericum enim adeo ibi abũdat, vt omnibus sit parabile. Creditur quotannis ex prouincia *Canton* in Indiam deuehi ter mille quintalia siue Centenarios serici per libram distrahendi, præter illud quod in Iaponiam, in insulam Lusson, atque Philippinas, & in terram Sian reliquasque viciniæ partes auehitur, adeo vt totæ classes eo onerentur, Cantonensi prouincia interim serico abundante, neque vlla ex parte ab eo exhausta. Linum Cotonque ibi vænum exponitur & in copia maxima & precio vilissimo. Si spectes copiam vasorum fictilium, *Porcellinen* dictorum, quæ inde in Indiam, Lusitaniam, Hispaniam nouam, aliôue mittuntur, dices rem esse stupendam. ea vascula quæ ex puriore materia fiunt, nullo modo auehere licet, sub pœna capitis, asseruantur pro regni proceribus, tam splendida tamque speciosa sunt, vt vitra crystallina purissima cum iis conferri possint. Finguntur hæc vasa ex materia satis dura, minutim contusa & trita, quæ dein infunditur in aquam maceranda, inde vbi macerata satis fuerit, agitatur eo modo quo lac agitari solet butyro præparando. quo facto cremor eius supernatans preciosioribus vasis seruatur, quod post cremorem remanet, vasis minus puris suppetit, & quo fundo erit propior residentia, eô materia erit crassior. vbi ficta fuerint vasa, coloribus variis depinguntur in illis vel historiæ, vel aliæ icones, tandem indurata exiccataque in furno coquuntur.

Classes integre onerantur serico.

Porcellina vasa.

ANNOTATIO DOCT. PALVDANI.

VAsculi genus, cuius supra mẽtio facta, Porcellinæ nomine, describitur à Scaligero in libro quẽ de Subtilitate edidit, exercitatione 94. hoc modo: recipe, inquit, putamina ouorum & marinas glareas, quas porcellinas vocant, vnde & ipsum vasculi genus denominatur: quæ contrita minutissime atque aqua macerata redigantur in massam, ex qua formentur lances & vascula vsui accommoda. ea defodiunt sub terram nec nisi post annos centum effodiuntur, quando suam iustam essentiam demum assecuta fuerint, & diuendi possint. alij aiunt non ipsa vasa, sed materiam informatam defodi. verum Io. Hugonis modus, veritati magis consentire videtur, affirmantis ea ex luto fieri, non secus ac alia fictilia in nostris regionibus.

ABundat in China saccharum, *mel, cera* precio vilissimo. Sũt ibi herbæ, radices & plantæ, floresque varij non minus atque apud nostrates. sunt fructus vberiores atque in Hispania. habent & ipsi fructus peregrinos, nobis incognitos. poma aurea ibi nata vincunt dulcedine saccharum, est & fructus illis *Lechyas* nomine prunis similis, sed sapore diuerso, is longe optimus est & commendatur à comedentibus

maximopere, atque vt summatim dicam, est ibi affluētia rerum omnium quęcunque in hominis cogitata venire possint. Reditus regis tanti sunt, vt eos indicanti fides vix adhibeatur, siquidem ex vnico illo vectigali, quod ipsi ex sale cocto prouenit in prouincia Cantonensi, quotannis capit auri millionē vnum cum dimidio, id est. 1500000. Florentinos, ex quo de reliquis iudicari potest. Vrbes in China omnes munitissimæ sunt tum vallis, murisque ex solidis formatisque lapidibus extructis, tum munitionibus & propugnaculis circumquaque dispositis atque fossis aquæ repletis. arces non habent, sed supra singulas ciuitatis portas, stant turres robustæ tormētis bellicis instructæ. Vtuntur armis quibuscunq;, vtpote sclopetis, arcubus, sagittis, hastilibus variis, gladiis prælongis, & curtis latisque item scutis. milites in prælium accincti vestibus vtuntur ad genua vsque demissis gossipio circumquaque subducto ea dēsitate vt hastile vel acutus gladius nusquam penetret. Stipendiarij regij in signum gestant pileum flauum vel rubrum, numerus illorum infinitus est. Sunt illis Decuriones, Centuriones, præfecti mille stipendiariis, præfecti decem mille, pręfecti viginti mille, atque ita consequenter. Distinguuntur Capitanei signis militaribus peculiaribus, cuique ordini propriis, ex quibus indicium sumi potest de numero militum cui quisque pręficitur. Singulis nouiluniis milites recensentur: Solutio stipendiariorum fit in argento in minuta frustula conciso, alia enim moneta illis in vsu non est. monetam dictam per libram accipiunt, qui mos per totum regnum inualuit, atque inde est vt secum passim & libram & instrumentum argento incidendo aptum circumferant. militis stipēdium in mensem vnum, facit numum argenteum regalem Lusitanicum vnum cum dimidio, quod sane stipendium ob mercium vilitatem pluris est, atque si apud nos accipiant Ducatos quatuor, aut Carolinos duodecim. Vtuntur ceremoniis & religione ethnica, pura ab omni Mahometicæ sectæ aliarumque superstitionum contagio. quibusdam in locis dæmones malos venerantur ob id saltem, ne malum operentur. agonizantibus dæmonium depictum, vna manu Solem, & altera pugionem strictum tenentem ante oculos ponunt. est autem dęmonium ita pictum, vt comminanti simile sit, quamobrem decumbenti iniungunt, vt fixis oculis id intueatur, quo in altero mundo magis propitium atque amicum illud habeat, nec tum ab eo affligatur. Solem & Lunam tanquam coniuges adorant. si quando Solis Lunæue defectus accidit, id magnis sacrificiis expiant, quod de vita periclitari videantur, metuentes ne DEVS ipsos vita priuet. Credunt omnes immortalitatem animæ, atque post hanc vitam retributionem bonorum malorumue prout quisque bona malaue gesserit, & ob id monumenta sepulchralia magnifice excisa defunctis statuūt. Credunt in altero mundo vitam immortalem esse. Habent passim per regnum Vniuersitates, vbi philosophia & constitutiones regni traduntur. nec enim apud Chinenses respectus est vel prosapiæ, vel diuitiarum, soli sapientes & artibus liberalibus atque philosophia imbuti reliquis præferuntur. hi sunt qui sedent ad gubernacula rerum publicarum, quique officia regia obeūt, hi sunt quibus defertur honos, & quos cum reuerētia atque solennitate excipiunt, hi sunt qui vitam cum voluptate degunt in delitiis, & quos pro Diis habent, tribuentes illis nomen *Loitias* atque *Mandoryns*, quos sedētes in sedilibus suis obuelatis tela serica atque aurea per publicum deferunt. Natura procliues illi sunt in voluptates atque crapulam, non minus atque reliqui Chinenses. Lege cautum est apud illos ne quis in patria sua officium procuret, neue eam regis nomine gubernet, aut magistratum ibi obeat, quod Rex hanc ob causam fieri voluit, ne scilicet amicorum affectibus indulgentes vel à Iustitia deflectant, vel regi rebelles fiant. Si quis ex proceribus vita fungitur, eiusdem vxores atque

Regis reditus infiniti.

Vectigal ex sale 1500000. Florent.

Arma Chinensium.

Dæmonium Chinenses venerantur.

Sol & Luna coniuges.

Vniuersitates in China.

Docti venerabiles.

In patria nemo regnat.

res atque famulos simul vita priuant defodiuntque vna cum hero, appositis eduliis variis clenodiisque, vt hoc modo comitatior, & instructior eo abeat, vnde negant redire quenquam. Aër ibi temperatissimus est, terra enim subiacet 19. gradui, quibusdam etiam locis ad 50. vsque conscendit. quæ omnia fertilitatem arguunt, huic accedit incolarum sedulitas in agricultura, neque enim latum pedem incultum relinquunt, radices montium atque ipsi colles, aratris sulcati atque consiti sunt, quod fit ob hominum frequentissimam multitudinem. Pestilentia aliudue contagium Epidemium nullum ibi grassatum fuit tanto temporis spacio, vt ab hominis nullius superstitis memoria illud repetere possis. Legem eam seuere obseruant, vt absque superiorum venia nemo quisquam ex Chinensi solo egredi audeat, neque quisquam peregrinus in eam terram introire absque eorundem permissu, secus qui fecerit luet capite. Nemini conceditur aut labores subterfugere, aut in ocio vitam degere: mendicare apud Chinenses inauditum, quod ne fiat, diligenter cauetur. Incolæ habent iustam membrorum omnium proportionem, robusti sunt & obesiores, facies lata est & rotunda, oculi parui, supercilia magna, palpebræ erectæ, nasus paruus & planus, barba rarissima capillorum vix septem vel octo in vtroque labio. In mento crines nigerrimi pauci, quos religiose curantes pectunt mundantque assidue, quosq; non viri tantum, sed & feminæ nutriunt ea prolixitate qua fert natura excretos pexos in nodum supra verticem nectunt, integentes eos reti serico. Qui maritima loca Lusitanis frequentata habitant, vtpote Macuani atque Cantonenses, colore sunt remissiore non absimiles Mauritanis in Aphrica, aut Hispanorum aliquibus. Qui in meditullio sunt Belgis nostris, & superioribus Germanis colore respondent. Sunt & inter illos nigerrimi, oculis magnis, & barba densa: verum ij pauciores & secundum Chinensium opinionem ex Tartarorum atque vicinorum aliorumque peregrinorum promiscua consuetudine procreati, quod sane fieri potuit, tū cum vicinorum consuetudine adhuc vtebantur, atque libere hinc inde negociarentur, ea conuersatio ipsis præcluditur hodie. Vngues sinistræ manus non præcidunt, in dextra præcisos habent, quod sane singulari legis obseruatione faciunt. ditiores & medij status homines sericis vtuntur vestibus iisque colore diuerso: pauperes gossipio induuntur. Nemo est in toto regno qui ex lana pannos texere didicerit, tametsi & lana abundent & oues gregatim alant, vnde admiratione tenebantur ob pannos laneos à Lusitanis aduectos; simili modo nec holosericum habent, nec texere norunt. Mulieres laxis vestibus & ad talos demissis splendide induuntur, capillos redimitos vnionibus atque gemmis preciosis habent, quibus & reliqua corporis membra pari modo exornāt; manus tectas gestant, per publicum raro obambulant, domi occlusæ sedent, plantas pedum habere strictissimas ornamento ducunt, vnde à teneris eas vinculis constringunt, ne in iustam prodigalitatem excrescant, ægre ambulant pedibus, quod si fiat, credas ipsas semiclaudas esse. atque hoc virorum est inuentum, vt eas scilicet à cursitationibus prohiberent, viri enim zelosi admodum & valde lasciui sunt, at vero habere plantas tam strictas nihilominus ornatus est in mulieribus. Si quæ in re lautiore sunt, aut in aliqua dignitate constitutæ ob maritos suos, eæ sellis in id paratis per publicum deferuntur obuelatis serico, satyno tela vndulata, intextis filis aureis argenteisue, ante facies crates sunt paruæ, per quas prætereuntes conspiciant, ipsæ vero à prætereuntibus conspici nequeant.

Sepulturæ.

Mendici non sunt in China.

Vestes sericæ.

Mulieres per publicum deferuntur.

CAPVT XXVI.

ARGVMENTVM.

De Prouinciis, Vrbibus, aliisque memoratu dignis, in Chinarum regno occurrentibus.

15. prouinciæ in China.

CHinarum regnum constat prouinciis quindecim, atque si scriptoribus fides habenda est, quæuis earum magnitudine sua æquat vel Europæ regnum præcipuum. Sunt in prouinciis Gubernatores siue Vicereges, quos Chinenses vocant *Cochinos*. Duas ex prouinciis Rex ipse cum Consiliariis suis moderatur, videlicet *Tolanchiam* & *Paguiam*, in qua est aula regia. Nomina reliquarũ prouinciarum hæc sunt: *Fequiem, Olam, Sincai, Susuan, Xansay, Oquiam, Aucheo, Hona, Canton, Quicheo, Chequeam, Saxi, Ayuaon* Singulæ prouinciæ singula flumina habent interlabentia, nationes conuersantur inuicem commodissime, terra & aqua commercia sua congressusque familiares exercentes. proditum est in Chinensium Historiis contineri in quindecim illis prouinciis ciuitates primarias 591. secundarias vero 1593. præter vicos & pagos & ipsos magnitudine oppidis comparandos, præcipue ciuitatum ad ripas fluminum consurgunt, circundatæ fossis vastis, latis atque muris crassis ex lapide solido factis firmissime. ad muros vtrinque sunt pomeria tanto spacio, vt sex equites iunctim circumquaque obequitare possint, vti videlicet muri rectius curentur, quos perpetuis sumptibus diligenter restaurãt. viẹ regiæ per totum regnum lapidibus sunt stratæ planitie passim ad montes vsque porrecta. Vrbium ingressus sunt admodum magnifice & opere vario artificiose exornati, portæ ternæ quaterne iunctæ atque ferratæ ob ærateque. viæ & plateæ passim eleganter stratæ, tum in vicis tum in vrbibus, eæque latæ, rectæ, ita vt prospectus ab vna extremitate in alteram pateat, quantumuis longissimæ sint. per plateas passim sunt fornices atque tabernæ, vbi & merces venales exponantur, & opifices operas suas exerceant. Fornices per plateas passim ex lapide arte mira inciso, & vario emblemate depicti consurgunt, quibus vsus est, cum aut festa, aut ludi aliæue solennitates ritusque ecclesiastici fiunt, quæ non nisi publice, noctu apud ipsos celebrantur, tum enim fornices collucent facibus & candelis, quod spectantibus & venerationem & admirationem mouet.

591. & 1593. ciuitates.

Forma ciuitatum.

Viæ regiæ.

Plateæ.

Ianuæ ædificiorum omnes collaterales sunt ornatus gratia, quæ media est reliquis sublimior, collaterales pro ratione commoditatis latiores. Ædes humiles carent contignationibus superstructis, capaces areasque patentes habẽtes & viridaria arte & natura pulcherrima. Vrbis nomen, vbi est sedes regia *Xuntien* seu *Taybyn*, ab aliis etiã *Quin Zay* celebratur. *Xuntien* idem sonat nostris, quod *cœlestis ciuitas*. ea est in prouincia *Paguia*, de qua proditum est in historiis, quod magnitudinis sit stupendæ, affirmatur portam alteram ab altera in directum per mediam ciuitatem abesse tãto spacio, vt equo insidens illud integro die vix conficiat. narrantur & alia mira, quæ breuitatis gratia hic prætereo.

Aula regia.

Potentiores in regno non vtuntur specialibus dignitatum titulis, quales apud nos Comites, Duces, Barones &c. tametsi territoria sua, vasallos aliaue dominia possideant: titulis. n. vti proprium eorum est, qui à Rege eos acceptos ferunt ad dies duntaxat vitæ, vita functis, tituli in liberos non descendunt, sed ad Regem redeũt: si tamen aliqui ex liberis idonei sint, qui iis fruantur, à rege poterunt eos sibi denuo impetrare, tanquam feudum. Regis effigies appensa est passim

passim in vrbibus, in quibus Gubernatores seu Vicereges resident. ad eam obuelatam tela aurea veniũt quotidie officiati, præfecti, *Loitias, Mandoryns* &c. deferentes debitam illi reuerentiam, non secus ac si Rex ipse præsens esset.

Titulus regis talis est. *N N. Rex & Dominus totius mundi, & Sol totius firmamenti.* Nemini per totũ regnũ armato incedere licet, nec arma domi suę habere, pter eos, quib. id à rege datum est tanq̃ stipendiariis regiis, q̃ iisdẽ hæreditariũ est.

Regis Titulus & effigies.

Chinenses ratione & intellectu valde sunt pditi, artifices miri, artificiosi, vt ex operibus ad nos deportatis patet. currus extruũt ad formam scapharũ, eos non nunq̃ tanta arte & subtilitate parant, vt p planitiem à ventis impellantur, nõ secus ac si æquor sulcarent. in negociando sunt prudentes & industrii. Mercatores ad tabernas suas appendunt tabulã in qua depingunt merces venales additis inscriptionibus. Quæque opificum tribus vicũ seu plateam peculiarem habitat, nullis aliis conciuibus admixtis.

NOTA. Currus volantes.

Nati ex opificib. non nisi parentũ opificia tractare possunt, excepto si à magistratu licentiã impetrẽt. Si quis opib. prępollet, illi indulgẽt vt in ocio viuat, neque operas ipse exerceat, tabernã tamen siue officinam, vbi familiam exerceat, apertam habeat oportet.

Moneta alia non est in China, nisi aurũ atq; argentũ non cusum sed minutim incisum, vt vel obulum pendeat, pro ea parabis merces quascunque & esculenta, velut gallinas anseres, pisces, fiuntque in ea contractus emptionis venditionisque.

Vnam habent vxorem legitimã, concubinas vero quotquot alere possunt, liberum est habere. Filius vnus ex legitima natus pręcipuam bonorum partem hæreditariã capit, reliquũ reliqui æqualiter inter se diuidunt. Contrahunt matrimonia libere ratione cõsanguinitatis, exceptis fratribus atq; sororib. & eorũ liberis, anteq̃ sponsus sponsam suam domũ ducat, oportet vt certã illi dotẽ numeret, q̃ parentibus pro educatione cedit, qua soluta, ea sponsum sequitur, parentibus integrũ est, dotem eam insumere, vel alio modo impendere aliis. si quid de dote post parentũ obitũ fuerit residuũ, id ad filiã redit, à cuius marito prius numeratum fuit: vnde fit vt qui habeat filias plures, & idẽ reliquis ditior habeatur.

Dos nubentiũ.

Varię & multæ linguarũ idiomatumq; sunt inter Chinẽses differẽtię: in scriptis tamẽ mutuo animi sensa omnes eodẽ modo pcipiunt. vtũtur. n characterib. hieroglyphicis. vnde alphabetũ quo vtunt, in infinitum pcedit. periti scripturæ necessario felici memoria & lõga exercitatione opus habẽt. atq; hęc ipsa causa est, cur docti apud ipsos sint in tanto precio. papyrus in China similis est Europęę, colore tamen minus cãdido, sed subtilitate & puritate superior. pennæ scriptorię ex arundinib fiunt, in quas penicilla more pictorum nostratium indunt.

Papyrus, pẽnæ.

Typographia, bombardæ, tormenta bellica, puluis tormẽtarius, & si qua alia ad hæc pertinẽt, fuerunt illis in vsu ante aliquot sæcula, & hodie nihil illis vsitatius est, nec viuit inter illos qui à memoria sua repetere possit, q̃ eiusmodi quicq̃ de nouo & recens inuentũ sit inter ipsos. pdunt Chronica primum Chinensiũ regem fuisse insignẽ Magũ, qui ab hinc ante aliquot annos millenos regnum illud administrarit, primus tormentorũ vsum & munitionis inuenerit. Typographia res est apud illos antiqua. habent libros excusos annis quingentis sexcentisue prius, quam in Europa id inuentum sit. Sunt ibi Bibliothecæ refertissimæ, nihil non enim chartis mandant, describentes tum res priuatas, tum exterorum, item artes liberales, leges, iura, statuta &c. ad hæc administrationem politicam, & res sui æui gestas, qua in re neque Græcis neque Romanis inferiores sunt, quin imo multis eos parasangis sæpe post se relinquunt.

Historici & scriptores in China.

Conuiuia. Conuiuia solenniter celebrantes, sternunt tot mensas, quot conuiuæ adherunt, tametsi vel centum inuitentur, mensæ depictæ perbellæ, deauratæ, varioque emblemate ornatæ, visu amœnissimæ, quam ob causam mensalia nulla insternunt, sed ad oras tabulæ appendunt telam sericam vndulatam, aureã, argenteamue pro cuiusque statu, ad terram vsque demissam. ad angulos mensæ siue tabulæ pendent calathi arte barbarica facti floribusque repleti beneolentibus, & aliis varie formatis bellariis ex saccharo deaurato, depicto, variis formis efformato. in medio tabulæ apponitur cibus arte paratus percoctusq; is delicate conditus apponitur in lancibus *Porcellinis* siue argenteis. Pisces carnesque pure exossatæ atque minutim concisæ in patinas dantur, comedentes ne minimum digitis contrectant, cibis sumendis adhibent duo parua ligna rotunda nigra, quibus loco furcularum vtuntur tam perite, vt ne mica inde decidat, nec extergendis manibus vllis strophiolis opus habeant, manus enim & os nullo modo polluũt collinuntue. potum ex oriza habent nostro hordeaceo similem. sæpe & parum bibunt, poculum aliquod paruum porcellinum vel vicies degustant, donec exhauriant. conuiuiis solennibus vt & nuptialibus adhibent instrumenta musicalia omnis generis. Cibos multa arte, multaque diligentia variis modis præparant. Mores aulici quibus vtuntur, sunt: si qui ex vulgo sibi inuicem obuiam fiant, sinistram in pugnum contrahunt, eamque dextræ includunt, iunctim deinde ambas pectori admotas tenent, donec multa solennitate se inflectant, nunc genua incuruantes, nunc capitibus nutantes, innuentes ita se quoque mutua animorum coniunctione deuinctos, quemadmodum manum manui implicant, neque id ex ficto aliquo, sed sincero & intimo animi affectu. vtuntur simul verbis vtrinque honorificis & magna cum reuerentia prolatis. Quod si nobiles, quos *Mandoryns* vocant sibi fiant in publico obuiam, aut alias se mutuo conueniant, manum manui digitosq; digitis implicãt, quib. implicatis brachia velut in arcum attollũt supra caput consistuntque simul ex aduerso incuruantes se, & genua flectentes inuicẽ, nutantesque capitibus singulari quadam cum ciuilitate, donec alteruter pergat. magnates inter se aliis moribus vtuntur. sed eos hoc loco ob oculos ponere, æquo prolixius foret. Finem itaque hisce ritibus imponentes, ne videlicet liber in volumen excrescat, Lectorem earum rerum cupidum remittemus ad historiam de regno Chinæ Hispanico idiomate factam, atque editam à monacho quodam *Fratre, Ioan. Gonsales, de Mendoca*, postea quoque ex Hispanico idiomate in latinam linguam translatam, & tandem denuo ex Hispanico idiomate in Germanicam etiam linguam translatum per amplissimum atque eleganter eruditum Virum Dominum IOANNEM REILERVM patritium Franckfordiensis reipub ad Mœnum, & prætorem eius vrbis Cæsareum &c. in qua licet autor alicubi falsus fuerit, vt qui minus exactam earum rerum notitiam habuerit, leget tamen in ea plæraque memoratu dignissima.

Mores in mensa. Potus. Mores obuiantium inuicem. Ciuilitas Chinensium nobilium. Historia de China.

CAPVT XXVII.

ARGVMENTVM

Descriptio Insulæ atque Vrbis Macau, ditionis Chinensium, vbi Lusitani negociaturi cum Chinensibus pedem figunt. Mercium item negociationisque enumeratio, earumq; precium: pondera, mensuræ, monetæ tum Chinensibus, tum Malacensibus vsitatæ.

Tam

IAm Insula quam ipsa Ciuitas Macau habitatur Lusitanis pariter atq; Chinẽsibus promiscue, qui negociantur cum Cantonensibus, à quibus merces Chinensium quascunq; in commercio habere possunt, vt qui tam emendi quam vendendi gratia eo veniunt, Lusitani autem inde arcentur; simulac nauis Indica venerit in Macau, metiuntur eã tam secundum latum quam longum, ad quam mensuram vectigal exigunt, quo soluto nauem eam mercibus quibuscunque absque vllo alio onere pendendo impleueris. Liberum etiam est Lusitanis generalem aliquem negociorum suorũ curatorem nomine reliquorum omnium in *Canton* mittere, qui merces pro libitu ibi conquirat. incumbit autem illi sub pœna grauissima, ne in vrbe pernoctet, sed in suburbiis diuersorium habeat. in vrbe *Macau* residet Episcopus Lusitanus qui Archiepiscopi ex Goa est Suffragane⁹. Quotannis eo appellit nauis ex India specialibus priuilegiis à rege Lusitaniæ gaudens, eius præfectura contingit plærisque primatibus, quales sunt munitionum præfecti. Eadem nauis inde in Iaponiam pergit, vbi onerata *Macau* repetit, post Malacam & tandem Goam appellit. atque vt dictum est, hæc nauigatio non nisi ex singulari regis gratiâ à quoquam perficitur, eo modo vt alia nauis alterius reditum expectet, quotannis non nisi vna soluit. In Iaponiam sane sine regis consensu nauigatio nulli conceditur, Chinam vero Malacamque nauigare cuiuis mercatorum liberum est. adhæc nulla alia nauis vel in China vel Malaca negociabitur, nisi prædicta regia nauis ante expedita fuerit, qua expedita nec reliquis impedimentum vllum erit quocunque versus cursum dirigant. Capitanei nauigationis Iaponensis bene lucrantur, datur illis certa pecuniæ summa in numerato, & nauis simul instructa, septies octiesue mille dolia vehens: lucrum inde proueniens excurrit ad 150. vel 200. millia Ducatorum. Nauigatio hæc quauis vice non nisi triennio perficitur. in Aprili Goa soluunt Malacam petentes, vbi sæpe ad tempus moram ducere & *Monsonios* ventos expectare coguntur, à Malaca petunt *Macuam*, vbi ob eosdem ventos integrum mensem hærent, tandem Iaponiam deferuntur, non minus ibidem ad menses aliquot commoraturi, donec ventos fauentes ad reditum habeant, reditus iisdem spaciis quo abitus conficitur, atque ita triennium abit, donec domum reuertantur. Quandiu hic Capitaneus Macuæ, aut in Iaponia fuerit, tandiu partes Viceregis & summum magistratum obit, haud secus ac qui in India sunt vicereges aut munitionibus præfecti.

Dimensio nauium.

Vbi tempus aderit, vt Capitanei nauis à Macua soluat in Iaponiam, tum alia à Goa appellit ad Macuam eundem cursum tenens, nec tamen nisi prior cursum suum expediuerit, quæ simul ac Macuam reuersa fuerit, altera nauis inde in Iaponiam soluit. prior vero Gubernatoris vices obit, donec Malaccam Indiamue abeat, qua ratione fit, vt perpetuo Gubernator aliquis in Macua præsto sit, merces quas ex Macua in Iaponiam vehunt, aliæ nullæ sunt præter sericum cuius loco argentum accipiunt, magno ipsis emolumento futurum.

Posteaquã itaq; de negociatione Macuana hoc in loco agim⁹, visum est merces à Lusitanis emendo & vendendo vsurpatas exactius describere, addito precio vulgari, additis ponderibus monetis tam Chinensibus, quam Macuanis familiaribus, siquidem ambæ hæ nationes magis inuicem contrahunt conuersanturque quam vllæ aliæ in India. Sericum in China est trium generum, vnũ genus *Lankyn* dicitur, idque optimum est; secundum *Fuscan* & ipsum non malum; tertium *Lankan* inter reliqua vilissimum. Sunt & alia genera præter iam dicta, est enim sericum non tortum, crudum vocant: est tortum Lusitanis

Serici genera.

retres

retres dictum, Sericũ album non tortum primi generis *Lankyn* valet per quodque *Pico* (id ponderis nomen est postea declarandum) 145. vel 150. numis regalibus octonariis, siue Ioachimicis nostræ monetæ. Sericum album non tortum secũdi generis *fuscan*, valet per *Pico* 140. & 145. Ioachimicis. Sericum crudum *Lankan* valet *Pico* 75. & 80. Ioachimicis. *Retres* siue tortum sericum *Fuscan* vel *Susuan*, vt & *Lankyn* & *Lankan* per *Pico* vænit 130. & 135. Ioachimicis. *Retres* album ex Canton *Pico* erit 50. & 55. Ioachim. *Retres* omnis generis colorum pari precio venditur. Sericum crudum coloratum ex *Canton Pico* valet 55. & 60. Ioachim. Sericum album *Lambarten* 14 vlnarum, valet plærunque 150. & 155. Ioachim. Muschus per Cattos venduntur, valet autẽ Cattus id est, vnciæ viginti 6. aut 7. Ioach. Cæteræ merces preciosiores Chinensium, venduntur diuerso precio pro ratione temporis, nec ita vulgares sunt atque Sericum atque Muschus, ex quibus præcipua negociatio Lusitanorum constat.

Pondera, monetæ.

Sequitur ponderum & monetæ ratio apud Chinenses & Malacenses in vsu. *Bahr* ponderis genus in Malaca facit tria *Pico*, *Pico* vero facit 66½. *Cattos*: qua ratione tria *Pico*, quæ *Bahr* vnum faciunt, 200. *Cattos* pendent tam in magna, quam in parua libra. *Bahr* vnum in China continet 300. *Cattos*, idem quod 200. *Catti* in Malaca pendentes in minore libra, faciunt enim tres *Catti* in China duos *Cattos* apud Malacenses in minore libra. *Cattus* vnus apud Chinenses pendet sedecim *Taes* Chinenses, facientes apud Malacenses quatuordecim *Taes*, vel idem quod 20¼. vnciæ apud Lusitanos. Est illis genus ponderis *HAND* dictum, continet quodque *Hand* (siue manus) *Cattos* 12. in minore libra, *Cattus* vero vnus continet 22. *Taes*. Sedecim *Hand* & octo *Catti* faciunt præcise 200. *Cattos*, pendentes idem quod *Bahr* in parua libra. Est & ponderis genus, quod *Tael* vocant, in Malaca. *Tael* vnum in Malaca pendet 16. *Masas*. decem *Masæ* & ¼. vnciam vnam faciunt apud Lusitanos. vncia vna cum dimidia præcise facit sedecim masas cum octaua parte. Lapis *Bezar* siue *Bazar* per *Masas* venditur. quæque *masa* Bezaris vænit duobus tribusue ducatis, prout magnitudine & bonitate excellit. *Bahr* vnum maioris libræ habet ducentos *Cattos*. *Cattus* vnus habet viginti sex *Taes*. *Taes* vnum habet vnciam vnam cum dimidia præcisi põderis, ad Lusitanicam libram. in minore pondere similiter *Bahr* vnum habet *Cattos* 200. *Cattus* vnus habet 22 *Taes*. *Taes* vnum habet vnciam vnam cum dimidia boni ponderis, ad Lusitanicam libram.

Bezoar.

Merces per magnam libram venales hæ sunt. Piper, Caryophyllum, nuces myristicæ, macis, Sandalum album, sandalum rubeum, color Indicus (anil dictus) alumen, Sanguis draconis, Palo Daguilla, Zibettum, & Sapon.

Quę per paruam librã venduntur hę sunt: argentum viuum, cuprũ, Lithargyrium, Ebur, Sericum, Muschus, Ambra, Calamba, lignum aloes, Stannum, plumbum, Lancua, oleum nucis myristicæ, oleum macis, Verdettæ, Rosamallia, Benzoi, Camphora. &c. Merces quas Lusitani in Chinam deuehunt, hæ numerantur. præcipuum est argentum siue numi regales Lusitanici octonarii, vnde maius lucrum est. valent enim plus quam quinque *Testonibus* nostris Dick Pfenning dictis. neque id tamen eo fit, quod eam monetam aliis præferant, siquidem argentum quodcunque acceperint, simulac minutim in frusta concidunt, vt suo more eo vtantur, aduehunt etiam vinum tam ex Portugallia, quam ex India, item gossipium valde à Chinensibus desideratum, & holosericum, quod nec habent, nec texere norunt, tametsi & oues & lana in copia illis adsit. Si specula, ebur, laboratũ Crystallum, vitrũ, horilogia vitrea ad illos deferrentur, haud dubitẽ, quin ipsis forent gratissima. atq; hæc sufficiant de regno China. Deinceps dicemus de Iaponia, vbi est extremus totius Oriẽtis terminus, quẽ quidẽ hactenus nauibus requisiuerũt nautæ à Lusitanis detectus

CAP

CAPVT XXVIII.

ARGVMENTVM.

Descriptio Insulæ Iaponiæ.

INsula seu prouincia Iaponia multas simul insulas sparsim positas complectitur, interfusa passim fluuiis stagnisque non ita magnis, quibus in insulas complures scinditur. Terra per se vasta est, cuius amplitudo hactenus nulli certo explorata habetur, nec enim tota detecta, nec à Lusitanis passim peruestigata est hactenus Incipit sub tricesimo gradu, porrigiturque vltra 38. distat à Chinæ continente in Eurum milliaribus 80. à Malaca vero in Aquilonem, qua Lusitani nauigant, sunt milliaria circiter 300. Portus ad quem Lusitani appellunt negociãturque *Nangasache* diciturSunt autem & alia loca in Iaponia, Lusitanis frequentata. Terrà pluuiis, niue & glacie riget, fert siliginem, sed vulgo victitant ex oriza. quibusdam in locis montosa est & plane sterilis & aspera. Carnem non comedunt nisi ferarum, & quam ex venatu habent, venari autem ipsis tam est familiare, vt in eo industriam eorum iure mireris. Habent boues, vaccas, oues & eiusmodi animalia gregatim, sed quod cicurata sint, carnes eorum fastidiunt, abstinentq; ab iis nõ secus ac nostri ab equina carne. interim ad alias operas iis vtuntur. Lac similiter respuunt, quod prçter colorem à sanguine nihil differre putent. Vescuntur variis piscibus, variisque fructibus, non secus atque Chinẽses. Piscibus maxime delectantur. Ædificia lignea habent, stramine vel asseribus intecta, arte multa extructa, amœnissima, præcipue diuitum. Conclauia tapetibus preciosis, qui ipsis præ aliis ornamentis suppetunt, splendide exornant. Iaponenses non tam diligenter, neque tanta cum munditia rem suam familiarem curant atque Chinenses, pauco contenti viuunt, interim nullius rei penuria laborantes, quin omnes pariter induuntur serico. Sunt ibi argentifodinę. argentum effosum deuehunt quotannis Lusitani ad Chinenses, permutantes id cum serico, aliisque mercibus Chinicis in Iaponia desideratis. Sunt autem Iaponenses peritissimi in argento effodiendo, distrahendoque. Habẽt opifices optimos. Artifices eorum sunt industrii admodum & ingeniosi, appræhendentes nullo negocio ea de quibus semel informati fuerint: cuius rei quotidiana experientia abunde testis est. Differunt nationes in Iaponia inuicem, interim tamen tam ciuiliter tãque aulice & familiariter conuersantur, ac si in regis alicuius aula educati forẽt. quod si necessitas postulet, strenui sunt ad arma tractanda, raro tamen inter ipsos rixæ contentionesue mouentur.

Iaponi nec carnes nec lacte vescuntur. [margin: Iaponi nec carnes nec lacte medunt.]

Si quis alteri minatur, aut stricto ense infestus erit, id capite luit. Carceres non habent, qui delinquit illico pœnas pendit. Si quem capere voluerint, astu id fiat, atque vt circumueniatur arte oportet, sin minus, reus ad arma confugiens multum damni dabit. Si nobilis fuerit, vel vnus ex potentioribus, eum obsideri faciunt numerosa hominum multitudine domi suæ, iniungentes ipsi, vt vita se ipsum exuat, quod si renuit, domum expugnant, trucidantque quoscunque obuios inibi, quod vt reus præuertat, à famulo se confici facit, sæpe etiam sibi ipsi ventrem transuerso vulnere dissecat. idem & famuli aliquando faciunt ex amore quo heros suos prosequebantur, mortem ita concilian tes sibi voluntariam. Quin paruuli pueri iritati in parentum pręsentia ex leuissimis causis atque præ mera obstinatione idem genus mortis sæpe sibi conciliant.

Homicidæ in Iaponia.

Famulorum fidelitas.

liant. Cæteroquin in omnibus patientissimi sunt,à teneris enim assuescunt famem frigusque domare,& labores quoscunque perferre, incedunt aperto capite,vtuntur vestibus raris tam per hyemis,quam per æstatis tempus,idq; nõ vulgus solũ,sed & potentiores atq; proceres totius regni. Caluitiẽ ornatui ducunt,vnde studio capillos euellũt, retinentes in summo vertice villũ in nodũ colligendum.aduersantur cæteris nationibus per omnia & in omnib.siue mores,siue linguę idioma,reliquosue vitæ actus,atq; ceremonias spectes,Chinenses in eo imitãtes,& morẽ eum in hunc vsq; diem obseruantes, nõ secus ac naturæ legem, vti ex sequenti narratione patebit. *Fuit ante Annos plurimos in China familia potẽtissima,quæ cum omnib.consanguineis atq; agnatis in regẽ rebellis facta conspirauerat.quo videlicet pulso atq; vita exuto rege regni possessionẽ ipsam inuaderet,res ea tãdem detecta Regem ad atrocissimã vindictã cõmouit,q complures eorũ capitaliter puniens secũ decernebat sontes ad vnũ oẽs delere. At consiliarij cæteriq; in regno potẽtes id ægre ferentes (siqdem inter sontes erãt complures, quos sanguine pximè attingerent) regẽ supplices adeũt interpellantq;,vt vitã reis donare ,pœnamq; mitiorem aliquam illis irrogare velit, tametsi & ea pœna,q sibi eligebant,vel ipsa morte non videretur tolerabilior.rogabãt.n.vt Rex sontes eorumq; posteros ppetuo exilio multaret,ita vt in insulã Iaponiã tum temporis desertã adhuc deportarẽtur.quod cũ obtinuissent, deportati qdem insulã eã occuparũt,sed succreuit hinc inter Chinẽses atq; Iaponenses odiũ illud capitale in hunc vsq; diem durans,adeo vt inuicẽ se ad aras vsq; psequantur. Iaponienses sæpe grauissime læserũt Chinæ incolas,sæpe igne ferroq; oras Chinensiũ infestarũt.Discordãt discrepantq; hodie quoq; inter se in omnib.neq; in minimo conueniũt exceptis nauigationib.Lusitanicis.atq; vt se p omnia cõtrarios Chinensib.præstẽt, immutarũt & ceremonias & cõsuetudines,& mores atq; ciuilitatis ritus in contrariũ. q si singula ordine pcurrere velimus,nimis plixũ foret,qdam saltẽ ex præcipuis annotabimus.*

Origo Iaponẽsium.

Mores cæteris contrarij.

Principio ceremoniæ quas salutantes Chinẽses obseruant manuũ cõplicatu atq; capitis nutib.ita ab Iaponiis immutatæ sunt,vt sibi obuiã facti in terram cõsidant calceosq; exuant,q honoris mutui indicium est. Chinenses & reliq nationes desurgũt excepturæ aliquẽ honorifice,at Iaponij subsidunt, ducẽtes inciuile si stantes excipiant eũ cui honorem deferre cupiũt.Nos non nisi togati domũ egredimur,at illi in publicũ pcedentes pallia deponũt domi,atq; laxis caligis induũtur:reuersi domũ exuũt caligas resumentes pallia. Oẽs cęterę nationes ornamẽto ducunt alere capillos albos aut flauos,& dentes habere cãdidos,sed id Iaponiis turpissimũ est,& mediis qbuscunq; vtuntur capillis dentibusq; denigrandis Color.n.albus ipsis luctus signum est,sed ater lætitiæ.

Mulieres hũc morẽ obseruant: in publicum pgressas præcedũt filiæ & ancillæ,famuli vero eas sequũtur, q mos in Hispania inuersus est.Mulieres grauidæ succingũtur zona tam stricte,vt vel strangulent: anteq impraegnant,zona tam laxa vtuntur vt ea sponte excidat:idq; se experientia edoctas facere autumãt,nisi.n.grauidæ zonã arctius stringant,piculum ipsis in partu esse metuẽdum aiunt.Vt primũ infans editus fuerit,loco refectionis q matri debet,infantẽ lauant frigida,matri vero cibũ ptenuem parcissime porrigũt. Inter comedendũ hisce morib.vtunt.Singulæ psonæ singulas mensulas habent, mensalia nulla,ligna parua duo ipsis sunt in vsum cibi capiẽdi.bibunt vinũ ex oriza,ita vt nonnunq inebriẽtur,sumpto cibo alio vtunt potu. bibunt.n. poculũ aq tam calidæ quam ferre possunt,idque tam æstiuo quam hyemali tempore.

Conuiuia Iaponensium.

ANNOTATIO DOCT. PALVDANI.

Ari ritu Turcæ fere bibunt suum Chaona, ex fructu quodam simili baccis lauri,ab Ægyptis Bon,siue Ban dicto confectum.recipiunt de fructu hoc libram vnam & semis,

semis, torrentque modice, decoquunt deinde in aquæ libris XX. ad medietatem. bibunt decoctum singulis auroris ieiuni in conclauibus suis, tam calidum quam possunt, in quo cum nostris fere conueniunt bibentibus vinum sublimatum ieiuno stomacho. aiunt illi potionem suam stomachum & roborare & calefacere, ventositates digerere, & quascunque obstructiones aperire.

Cibos longe aliter præparant atq; reliquę nationes. prædicta aqua calida præparatur ex puluere herbæ *Chaa* dictæ. ea herba in tanto precio habetur, vt ditiores atque potentiores decoctum ex ea reponant locis custoditis, nec nisi ipsi domini illud custodiant famulis remotis. Si digniorem aliquem hospitem honorificentius excipiunt, propinant illi de hoc decocto. Olla in qua decoctio herbæ eius facta est, asseruatur, vna cum vrceolo fictili ex quo hauritur, in tanto precio, vt apud nos adamantes, carbunculi seu quæuis gemmæ preciosissimæ non habeantur magis charæ. Quod si contingat vt vasa illa à celebri aliquo & veteri artifice fabrefacta sint, vnicū aliq; ex illis quatuor vel quinq; millibus Ducatorum diuenditur. *Rex de Sungo sibi comparabat eiusmodi ollam tripodem (habent enim tria fulcra seu pedicillos) quatuordecim millibus ducatorum. Erat in ciuitate Sacay Iaponius Christianus qui mille quadringentis ducatis talem redimebat, licet ea tribus in locis contusa atque reparata foret.* Sunt illis chartæ, siue tabulæ quædam maximi precij, in illis depingitur auicula vel arbusculum nigrum, quod si constat lignum peculiare eius esse tabulæ, atq; picturam ab artifice celebrato factā, soluunt pro ea precium quantumcunq; postulaueris: *Sæpe enim nuda eiusmodi tabula tribus quatuorue millibus ducatis venalis comparata fuit.*

Decoctum preciosum.

Vasa preciosissima.

Gladium eximium ab opifice aliquo celebri & antiquo fabricatum, æstimant vel tribus quatuorue millibus coronatis, neq; minoris eum vendunt. Hæc enim sunt gemmæ illis & clenodia, non secus ac nobis adamantes, vniones &c. quæsiti cur istarū rerum vilium alioquin, tātum precium statuant, respondent per instantiam, cur nos lapillos quorum nullus vsus est prętor aspectum, tanti faciamus, quæ ipsi in precio habent vsui esse & homini commoda.

Politicū regimen apud ipsos hoc modo se habet. Regis nomē est *Iacatay*, qui per totum regnū dominatur, nullo impediente, ex reditibus ipsi plus non remanet, quā quod regiæ dignitati sustentandæ vix sufficiat, quod reliquum est distribuitur in *Cunixus*, nostris Ducibus & Comitibus comparādos, quos Rex constituit & deponit pro libitu, tenentur regi suis sumptibus parere tam belli quam pacis tempore, pro constitutionum Iaponensium tenore, atque pro dignitatis gradu in qua constituti sunt.

Regimen in Iaponia.

Cunixus habent etiam alios sub se, quos *Tonos* vocant, Baronibus nostris reliquisue vasallis conferendos, in quos & ipsi terram à rege acceptam partiuntur seruata proportione. Idē *Tonos* suam quisq; portionem inter amicos atq; stipendiarios suos subdiuidit, quorū singuli tenētur superiori inseruire, atq; eū vt caput suum agnoscere, idq; propriis sumptib. ad hęc quisq; ex suo viuere tenetur, contentus eo q; ex diuisione accessit ipsi. cedit autē tantundem, vt cuiuis pro statu suo honeste sustētando sufficiat. Quisque dominus tantum iuris in suos possidet, tantumq; autoritatis habet, vt iustitiam in eos exercere vel excommunicādo vel votis priuando, eosq; pro libitu tractare, quo iure, quaue iniuria, absq; appellatione aut vllius interpellatione libere possit. & hanc sane potestatem non tantū Decuriones habent, & centuriones, sed & ipsi patresfamilias

Principes & vasalli in Iaponia.

 in libe-

in liberos suos & seruos totamque familiam, liberum enim est eos vita exuere, plagis mulctare, ferire, confodere, nec est qui eos interpellet.

Reditus regij.

Regis reditus sunt pertenues, cōstant ex sola oriza, quam pro thesauris habent. habet rex quotannis quinquies centena millia plaustrorum orizæ, nec amplius quicq̃ ex vllo alio vectigali aliove tributo. dictam summam orizæ in 10. vel 12. *Cunixus* ex parte distribuat necesse habet, quorū singuli triginta aut quadraginta millia plaustrorum sibi auferunt, residuum regi proprium cedit, ex quo se suosq; aulicos sustentet. *Cunixus* quisque de sua quota *Tonos* suos alit, ita vt cuiq; dimensum suum pendat. *Tonos* similiter de suo dimēso stipendiariis certam mensuram prębent, vnde honeste alantur, pro cuiusque statu & conditione viuant.

Linguæ diuersitas.

Non habent eandem linguam cum Chinensibus, adeo vt se mutuo non assequantur loquentes, in scriptis nulla est differentia, iisdem enim characterib. & figuris vtuntur. vsurpant varia vocabula, scribuntque variis characterib. admodū scite, & decore pictis: norunt enim qui tituli, quæue honoris verba cuius personæ, habita gradus dignitatisque ratione apte & proprie conueniant, hinc est, quod peregrinis ipsorum lingua perceptu sit difficilis admodum. In religione non vsque adeo à Chinensibus dissident, habent sua idola atque sacerdotes *Bonses* dictos, quos religiose venerantur. Multi ex ipsis post aduētum

Iesuitæ in Iaponia.

Iesuitarum baptizati ad Christianorum religionem animos applicuerunt, & indies plures ad eam accedūt. quin tres etiā Reges ex ipsis baptizati sunt, videlicet Rex de *Bungo*, qui inter reliquos summus est per totam Iaponiam, sunt enim complures adhuc in Iaponia, quorum Iesuitę nullam habent notitiā. baptizatus est & Rex *de Arrima*, atque rex *de Omura*. Tres modo dicti reges filios

Reges tres ex Iaponia Romā profecti.

suos & consanguineos cum Iesuitis in Indiam mittebant, vt in Portugalliā nauigarent, & tandem Romam vsque deuenirent, vbi se sub Pontificis potestatē traderent obedientiamq; sponderent. ij anno 1582. ex Iaponia soluerunt, in Indiam delati ad vrbem vsq; Goam anno 1583. quo tempore cum hero meo *Fonseca* & ipse appuleram eodem, adeo vt Goæ eos videremus. anno sequēte nauigarunt in Lusitaniam, mox Mantuam Carpetanorum in Hispaniam aduentantes à rege Hispaniarum, cæterisq; nobilibus Hispanis summa cum solennitate accepti, multisq; donariis excepti sunt. Inde perrexerunt Romam vsq; ad Pontificem, qui non minore pompa, neq; muneribus vilioribus aduentantes gratulatus, omnia ipsis præstabat, quæ tanta solēnitate digna videbantur. idem Cardinales & reliqui per Italiam principes faciebant. totam enim Italiam illi peragrabant, perlustrantes Florentiam, Venetias, Ferrariam, reliquasq; Italiæ vrbes nobiliores, & tandem in Hispaniam reuersi sunt instructi bullis Pontificiis, & reliquiis sanctorum atq; S. Crucis Hierosolymitanæ, regibus Christianis per Iaponiam perferendis. Hinc digressi in Indiā appulerūt anno 1587. me ibidem tum degente, vbi excepti cum iubilo & omnium admiratione ad suos perrexerunt in Iaponiam. Quæ quidē omnia facta sunt à Iesuitis, vt eo plures ad Christianam fidem conuerterent, vti dictitabant illi, vtq; apud Iaponenses autoritatem haberent atq; fidem in prædicanda Europæ magnificentia, aliter. n. ęgre ꝑsuadendi erant Iaponij. Vera tamē atq; pręcipua causa & intentio Iesuitarum hæc erat, vt eo plus commodi videlicet ex ipsis caperent, nomenque aliq̄ memorabile inde reportarent: siquidem potiora & preciosiora dona Principib. illis Orientalib. collata, Iesuitę sibi ipsis retinebāt, impetrabantetiam à Pōtifice & Hispaniarū Rege, vt præter Iesuitas, nemo alius vel Lusitanus

Nemo Iaponiā incolit absq; Iesuitarum permissu.

vel Christianus quicunq; demū is foret, per Iaponiā habitaret. Hinc fit, quod hodie nec monachi, nec pontificij regulares quicunq; nec laici, præter solos Iesuitas atq; opifices quosdam Lusitanos Iesuitis necessarios Iaponiam incolāt.

reliqui

reliqui,vtpote mercatores,peregrinari quidē,ſed nullo modo reſidere ibi poſſunt,niſi ex permiſſu Ieſuitarum. Terram fere vniuerſam occuparunt, videlicet quantum eius adChriſtianam fidem acceſſit,obtinentes magiſtratum non in Eccleſiaſticos tantum,ſed &in politicos, perſuadent enim Iaponenſib. quę volunt,vnde pro Diis ferme colūtur, eamque apud Iaponios habent autoritatem,vt parum abſit quin adorentur pro Sanctis.quin obtinuerunt à Pōtifice Romano,vt ex ſuo ordine ſeu collegio Epiſcopum haberent, repugnantibus ipſorum ſtatutis.Is Epiſcopus Ieſuita ex Luſitania in Indiam nauigaturus in ipſo curſu moriebatur, quo defuncto alium à Pontifice obtinuerunt eiuſdē ſui ordinis.

Ieſuitæ pro ſanctis.

Epiſcopus ex Ieſuitis.

Ex quibus cōſtat manifeſte Ieſuitas niſi ſibi meliorem partem præeligere,& captam prędam mordicus retinere, poſſident fertiliſſima atque principaliora loca totius Indiæ,in quibus ædificia præ aliis ſplendida atque magnifica ſtatuunt,quorum magnificentiam imitari aliis non conceditur, nec ſi alius velit ea imitari poſſit:quin nec ipſis religioſorum Ordinibus ea poteſtas eſt. Sciūt enim foro vti commodiſſime, nec eſt quicquam per totam eam terram, ex quo lucri odor ſperandus ſit, quod non protinus arripiant, modo per ſomnum de eo commonefiant,quibus enim modis vel à Rege Hiſpaniæ, vel ab aliis potentioribus iſtud obtineant,ſemper ipſis in promptu eſt. Credūt quod magiſtratus rerumque potentes blanditiis & ſycophantiis ſuis faſcinare poſſint.

Quin in negociando tam verſuti atque periti ſunt, vt in vſurando cæteriſque lucrandi artibus ipſos ſæculares longe poſt ſe relinquant. Atque vt ſummatim dicam,nihil omnino per Indiam prouenit, ex quo non Ieſuitis etiam ſua portio cedat. Vnde non laici ſolum,ſed & reliqui Eccleſiaſtici id ęgerrime ferunt,ſordes atque auaritiam eorum incuſantes abominanteſque.

Haud procul ab Iaponia ſub 34.vel 35.gradu viſitur alia inſula vaſta ad littus Chinæ,cui Inſulę *de Core* nomen,de cuius amplitudine,incolis atque mercib. nihil dum certo conſtat.Si à *Macua* Cæciam ventum vela facias pluſquam per 90.milliaria occurrent inſulę nōnullæ,vtpote *Lequeo*, *Boqueno*, ſiue *parua Lequeo*, diſtans circiter 20.milliaribus à continente,Chinæ:in eodem curſu iterum ad milliaria 90.alia occurrit *Lequeo maior* vocata, eas Chinenſes frequentant.

Inſula de Core.

Lequeo minor.

Lequeo maior.

Atque hæc ſufficiant de littorali illa Chinenſium ora, de accolis illius, atque mercibus ibidem parabilibus,quæ partim ex propria experientia, partim ex aliorum fide digna relatione deprompſi. Deinceps ad vrbis Goæ deſcriptionem reuerſuri, loca illi vicina, item territorium & iuriſdictionem eius proponemus.

CAPVT XXIX.

ARGVMENTVM.

Deſcriptio breuis terræ,quæ poſt Goam eſt,in cuius ſolo vrbs Goa poſita eſt. Item de Origine regum illorum deque eorundem nominibus,omnia ex fida incolarum relatione, atque hiſtoriarum euolutione diligenter eruta.

Ntequam deſcriptionem Inſulæ atque Vrbis Goę ordiar, priuſquam etiam de ſtatutis, idololatria, atq; aliis cõmoditatib. regnorum partim poſt Goam, partim à latere illi ſitorum, Luſitaniſq; atq; indigenis promiſcue habitatorũ agã, operę precium duxi eam tractationem ex alto atq; ab antiquo deducere, vt inde primordia regnorum, diuiſioque prouinciarum & gentium planius & plenius pateat: vnde etiam de Regum nominibus rectius iudicare poterimus. Fuit itaq; ante annos trecentos Rex quidam potentiſſimus in terra DELI, quæ poſt Goam eſt in Boream, contermina terræ *Coraſcione*, quæ eſt ſub rege Perſarum, vbi tapetes precioſi Luſitanis *Alcariffas* dicti parantur. Terra Deli frigore, niue & glacie cum Belgio reſpondet. Rex DELI ſubiugabat ſibi regna quæcunque vicina, vtpote *Decan*, *Cuncan*, *Ballagate*, *Goam* &c. accidit vero vt eodẽ tempore Æthiopes & Mahumetani prouinciam Cambaiã vi occuparent (ea in boream à Goa diſtat milliaribus centum) cogẽtes multa tyrãnide ſub ditionem ſuam eos populos ethnicis ritibus deditos, quorum nomen *Reisbutos* fuit. Terra *Ballagate* atque *Decan* antea regnata fuit ab Ethnicis, tum ſane potentiſſimis, à quibus *Veneſares* deſcendunt, quorum proſapia in hunc vſque diem durat, poſſidetq; terram, quæ poſt Goam eſt, diciturque ea natio *Colles*: Qui ſane *Colles* & *Veneſares*, item *Reisbutos* ex Cambaia etiamnum ex rapto viuunt, & Cambaienſes tributum Reiſbutis pendunt, ſolum ob eam cauſam, ne ſpolientur ab illis, ſed vt in pace & quiete viuant. Sic & *Veneſares* atque *Colles* ſuum tributum habent ex terra *Decan* & *Ballagate*. Reges vicini hactenus debellare eos non potuerunt, Enimuero nec ipſi reges id ſerio agunt, vt qui & ipſi ex præda participent. Poſtquam itaque Rex *Deli* potentiſſimus vicina regna ſimul ſub ſua poteſtate haberet, Tartari, quos Indi *Mogores* vocant, in regnum eius irruentes, potiorẽ regni partem vi occuparunt.

Terra Deli. — *Reisbuti.* — *Mogores ſunt Tartari, occupantes Deli.* — *Heros ex Bengala Deli regnum recuperat.*

Erat eodem tempore in Bengalæ regno Heros fortiſſimus, cuius fratrem Rex Bengalæ iniuſte obtruncari iuſſerat, quod vt vlciſceretur Heros iſte, tentabat omnes aditus, quibus propoſitum ſuum in actum deduceret, neq; fruſtra id fuit, ſiquidem & Regem Bengalæ ipſum vita exuit, & omnibus ſimul regnis eundem exutum ſub ſuam poteſtatem redegit.

Solus itaque totius Bengalæ regni ſceptris potitus, minime eo contentus fuit, ſed ad maiorem potentiam aſpirans, Deli quoque regnum ſibi conterminum cum maxima manu inuadebat, illudque expulſis Tartaris ſiue *Mogoribus* occupabat, vna cum cæteris regnis adiacentibus omnibus, *Decan* videlicet, *Ballagate* & *Cuncan*, vſque ad regnum *Cambaiæ*, vnde omnium potentiſſimus erat imperator totius Orientis, cuius regna in ambitum deſcripta fuerunt 800. milliaribus, ſi Indis fides habenda eſt iſta referentibus. Regebat is ad annos complures vniuerſam eam terram, tamdem quietis deſiderio captus, & quod tot prouinciis regendis ætas eius ſenilis minus ſufficeret, in Bengalam reuerti cogitabat, tradens regnum *Decan*, *Ballagate* & *Cuncan* conſanguineo cuidam ſuo, velut legitimo hæredi, addens ſimul Goam & loca finitima.

Hoc animo reuerſus in Bengalam, reliquit in cæteris regnis conſanguineum ſuum potentem rerum regnorumque reliquorum omnium. Nouus vero Rex ille vtebatur amicitia & fauore plurimorũ principum exterorum, prę ſertim *Arabum*, *Turcarum*, *Ruynorum* & *Coraſonum*, vnde regna & prouincias in Gubernatores & Capitaneos diſtribuens ipſe amicis operam dabat, prouinciã *Angedinam* cõmittebat cuidam *Idalham* nomine, quem Luſitani *Hidalcam* vocant. diſtat autem ea à Goa in auſtrum milliaribus 12. porrigiturque in boream

Diuiſ. terræ Deli.

ream per milliaria 60. vsque ad locum *Siffardane* dictum, in quo comprehenditur ciuitas & insula Goa; alteri cuidam *Nisa Maluco* nomine committit tractum maritimum in boream per 20. milliaria porrectum vsque ad *Negotana*, introrsum in continentem vero ad Cambaiam vsque vergens ita vt dictorum, præfectorum regimen in continentis partibus vt plurimum contineatur, extensum ad mare vsque & à regno Decan prealtis montibus *Guate* dictis separatum. Montes *Guate* excelsi & prærupti passim, à Cambaia ad caput *Comorinum* vsque porriguntur, vnde deflectunt vsque ad littus *Choromandel*. Montes *Guate* ea sunt altitudine, vt in vrbe Goa conspiciantur vna cum toto tractu illo littorali, vt plurimum enim nubibus obuelantur, quodque magis mirum est, cum ceteri montes in summo asperi sint & scopulosi, hi tamen in summitate planitiem habent atque campos patetes amœnissimos. dicuntur ab Indis *Ballagate*, quod idem sonat ac si dicas in summis montibus. *balla* enim summitas est lingua Indica, *Guate* vero mons, vnde Lusitani totam eam prouinciam *Ballagate* dixerunt, quæ alias vero nomine *Decan* & *Canara* vocitatur. vnde incolæ *Decanyns* & *Canaras* hodie vocantur, & Rex ipse titulum Regis *Decan* olim habuit. Sed ad propositum Rex ille nouus cuius supra facta est mentio, terram *Ballagate* similiter in suas prouincias diuisit, ex quibus aliam tradidit præfecto *Imademaluco* Lusitanis *Madromaluco* dicto: aliam *Cotalmaluco*: aliam *Melique Verido*. erant iam dicti præfecti plærique omnes exteri vtpote *Turcæ*, *Ruynes* & *Corosones* præter *Nisamalucode*. is natus patre ex aulico nobili fuit. at enim quod Rex cum matre eius concubuerat, gloriabatur se ex sanguine regis *Decan* procreatum esse. reliqui præfecti fuerant mancipia & ministri à Rege empti, atque in hoc dignitatis culmen à rege euecti. Rex confidens in suis Gubernatoribus sperabat fore, vt animo grato accepta beneficia agnoscerent, nihil minus tamen experitur, vt & hodie sunt mores hominum, beneficia malefactis recompensantium. progressu itaque temporis præfecti potentia & autoritate apud suos præualentes, non iam regis vices sed regem ipsum repræsentabant.

Rex enim nullum omnino onus ipsis imposuerat, vt qui fiduciam suam infallibiliter in ipsorũ bona fide collocaret: at illi ferocientes, sese ꝓprietarios prouinciarũ, prouinciasq; hæreditarias sibi suisq; faciebant. iamq; indigne ferentes si superiorem agnoscerent, habitis comitiis decreuerunt iunctis viribus herum suum & caput prouinciarum summum in vincula coniicere, ac prouincias eas possidere proprias, quarum antea non nisi præfecti à superiore constituti fuerant, quod sane nullo fere negocio ita perfecerunt, vt qui omnia in manibus haberent. adhæc quod subditorum obedientia non minus atque Rex ipse vterentur, regem in ciuitate *Beder* quæ metropolis est regni Decan atque sedes regia, iunctim ceperunt, qui vt arctiore custodia teneretur, tradiderunt eum *Melique Verido* atq; vt ad facinus hoc maiorib. viribus essent instructi, adiunxerunt sibi vicinos quosdam Ethnicos potentes, videlicet *Mohadum Coia* & *Verithe*, qui & ipsi ex diuisione accipiebant prouincias quasdam diuites admodum, vrbes & vicos. *Mahodum Coia* ex sorte accipiebat vrbes *Vilapor*, *Solapor*, & *Paranda*, proximas Goæ: quibus cum Goa præcipuum est commercium. Est hodie aula *Hidalcam*, siue *Idalham* in *Solapor* ciuitate. *Paranda* ciuitas ipsi deinceps à *Nisa Moluco* erepta est, cum quibusdam aliis locis, atque dicto modo vastum illud regimen in tot reges diuisum fuit, quorum posteri in hunc vsque diem prouinciis suis præsunt.

Auus *Idalhami* siue *Hidalcami*, eius qui anno 1535. fato functus est, vnus fuit ex primis Capitaneis quorum auspicio regna ea constituta sunt. dictus Hidalcam potentissimus maximæ erat autoritatis apud vicinos. ab eo Lusitani

vrbem

vrbem Goam bis armata manu recuperarunt.atque hæc quidem de terræ diuisione sufficiant.Diuiso regno facti sunt discordes Rex *Idalham*,& Rex *Narsingæ*,vt quorum regna contermina sint. Regi *Narsingæ* nomen est *Rau*, alij eum *Ham* vocant.est autem *Ham* lingua Persica siue *Mogorum* idem quod Rex sui iuris. Lusitani *Cam* eundem dicunt. at vero vt rex *Narsingæ* vlcisceretur *Idalcam* regem, rem armis eo redegit, vt & *Idalcam* & cæteros potentes in *Decam* sibi subiectos atque tributarios faceret, suntque in hunc diem vsque sub eius tributo.

Nomina regũ Indorum.

Porro explicabimus nomina horum regum. Rex enim qui solus rerum potiebatur,& regnum suum in Capitaneos siue Gubernatores distribuebat,simul etiam cuique peculiarem titulum attribuit,qui mos apud ipsos est, si quẽ in locum sublimiorem atque dignitatis eminentionem gradum euehunt, ex quo palam est,ea non esse nomina propria,sed dignitatum titulos, attributos ex singulari superiorũ gratiâ, posteris hæreditarios.*Idelham* seu *Adalham* idem sonat quod rex iustitiæ. *Adel* enim Persica lingua iustitiam, *Ham* vero regem denotat.*Maluco* idem est quod regnũ. *Cota* Arabica lingua robur significat, vnde *Cota Maluco* robur regni est. *Imad* columnam exprimit, *Ima de maluco* columnam regni. *Verido* est custodia, *Melice* siue *Maluco Verido* custodia regni. Sunt qui *Malucos* existiment debere dici *Meliques*, quod regios sonat. Sunt & alii tituli desinentes in *Xa* syllabam,veluti *Nisamoxa*, *Adelxa* &c. ex Persarum lingua ad Indos propagati.causam eius hic breuiter exponemus. Nota est Historia, quomodo in prouincia Persiæ *Corasone*,exortus sit quidam è loco humili & familia obscura,nomine *Xa Ismael* (qui à quibusdam dicitur *Suffy*) quod nomen ex Alcorano atque lege Mahumetana depromserat,quo maiorem autoritatem ex eo sibi pararet per Persiæ atque Arabiæ regnũ, (habet enim nomen illud suam peculiarem interpretationem) is in tantam potentiam euasit, vt & Persia, & Arabia & quæcunque vicina regna eum formidarent. Turcis vero antiquam suam legem Mahumetanam per vitam & facultates defendentibus, exorta est inter Persas & Turcas tanta discordia,vt res ad arma deuenerit,plurimis vtrinque ferro cæsis, dum vtraque natio suam legis glossam furiose propugnaret,nec quieuit deinceps illud dissidium vsq; in hũc diem. *Xa Ismael*, cuius modo mentionem fecimus,breui tempore potentissimus per totam Asiam factus sub prætextu sinceræ religionis defendendæ,vi inuadebat omnes Asiæ prouincias,Legatos suos passim mittens, petensq; suam legis interpretationem agnosci veram,& simul eidem subscribi postulãs, qui recusarent, iis aqua & igni interdicebat: vnde multi ex metu eam suscipiebant. defuncto *Xa Ismaele*, successit illi *Xa Tamas* is secutus parentis religionem, eiusque vestigiis insistens denunciabat per Legatos suos,Regibus *Ballagate*, *Decan* & *Cuncan*,vt & isti suam Legis interpretationem acceptarent,qui præsentibus Legatis facile morem gesserunt,iisdem digressis sententiam mutarunt. Imposuit *Xa Thomas* eadem legatione dictis Principibus titulum *Xa*, qui summus est dignitatũ titulus, atque Regem sonat, vnde illis nomina *Adalxa*, *Nisamoxa*, *Cutunixa* &c. qui postea inhæserũt illis, factis Regibus prouinciarum suarum sub titulo *Xa*. *Ismael* vero est nomen proprium. atque hinc componitur *Xa Ismael*, *Xa Thomas*, ac si dicas rex Ismael, rex Thomas, Turcæ atque Ruyni vtuntur nomine *Suffy* vel *Soffy* quod Præfectum seu Capitaneum generalem significat. Reges in Decan obseruant eam consuetudinem, vt eos quos in eminentiorem gradum exaltare volunt, titulo *Nayque* cohonestent,quod sonat idem quod Capitaneus, dicunt enim *Satua Nayque*, *Acen Nayque*: at si quem in summum dignitatis culmen euehunt,illi imponunt titulum *Rau*, id est, Regis; exempli gratia, *Chitarau*, id est, Rex fortis. atque ita de reliqis. eiusmodi enim titulis cohonestari, summus

Explicatio titulorum.

ipsorum


AILHA
Goæ Indiæ Orientalis M
polis & Emporij longe di
pro rege Archi episcopo
supremo Senalocuplet
exacta descriptio
Auctor Ioannes Hugonii
linschoten
Contrefactur der fuhrne
ten hauptstat in Indien
genant. in welcher der
handel getriben wirt.
sich auch der ertz Bis
Viceroy. und der Portig
sche Raht auf helt.


AILHAE CIDADE DE GOA METROPOLITANA DA INDIÆ PARTES O
Goa Indiæ Orientalis Metr
polis & Emporij longe ditiss
pro rege Archi episcopo &
supremo Senalocupletis
exacta descriptio
Auctor Ioannes Hugonius A
linschoten
Contrefactur der fuhrnems:
ten hauptstat in Indien, Goa
genant. in welcher der gröst
handel getriben wirt, da
sich auch der ErtzBischoff.
Viceroy. und der Portigali
sche Raht auf .helt.
O Passo de
Santiago
S. Matheus
S. Ioao Bautista
S. Thome novo
Poco
A LAGOA
S. Paulo
N. S. da Luz
S. Amaro
S. Bras
S. Domingos
Bangasal
Bazar grande
O terreiro
O troneo
as casas do Vizorey
Terreiro do Vizorey
A madre de deus
O caminho de madre de deus
S. Joseph
O passo de daugin
Champanas
cossas de gentios
N. S. de Piedade
AILHA DE NORVA
O Passo de Norva
A ILHA DE DI



ENTAIS QVE ESTA EN 15 GRAOS DA BANDA DO NORTE
S. Mª. Magdalena
ILHA DO CAPATEIRO
der furnemster orter der Insel Unde Stadt Goa
Benesteri ou Passo de Satiago Be
nesterÿ-der weg nach S. Iacob
Passo seco-der truckene weg.
Passo de daugi-nach daugÿ
Passo de Norua-der weg nach No
ua. Passo de Pangi-nach Pangym
Goa velha-Alt Goa.
Cazas do Vicorey-des Vicercy
behausung-Cazas do
Arcebispo-des Ertz bischoffs
behausung-A Camara-das
Raht hauß-Os Contos
Des Konigs Recherieÿ.
Alfandega-das zolhauß.
O Pezo-Die wog. Afonge
Die Hall-Tronco die
gefancknuß-O Terreiro
Der Korn speicher-A Morda
Die Muntz-Banganin Der
Springende Brunen-Pan
nelin-des Ertz bischoff Lust
hauß und garten-Pelourinho
velho e novo-Das alte und
das newe halz Eysen-Bazar
grande-Der große fischmarck
Bangasal-Der holzmarck
Vazarº de S. Franco Der
kleine marck vō S. franisco
Ribeira grande-Des konig
große zimer platz
Caua-Die alte Graben der
Stadt. Alagoa-Teich.
Leilao-Der Platz da sich
die kauff leut versamlen.
Reÿno-Die Schiff stelle
Goa-Daß klipichte Uffer
von der Insel Goa-Pray
de Bardes de Marem
fora-Daß gestetten Barde
an des Meer sseiten.
Endlich wo Terreiro
Od terrº stehet bedeut
ein Ort od platz und
waß fur ein wortt
dabeÿ stehet ist der
nahme des Orts.
Helruscis urbem tectis quæ certet et uno
Spectare intuitu vis Orientis opes.
Imos Goa licet nostro semotior orbe
Una tibi sensus expleat atque oculos,
Seu fora seu spectes plateas seu templa Deorum
Omnia maiestas par et ubique nitor.
Aspice quam prono subducta littore puppe
Quamque iter emensæ fida rati statio
Haud alia emporio locupletior Indus Eoy
Ditia quam late devidit arva soli.
Hoogerbeets
N.S. de graça
N.S. de Ribandar
Doms de Pau
Os Reÿs Magos
A ILHA DE CHORAO

ipſorum honor, ſummaque dignitas eſt. *Adalham* ſiue *Idalcam* aliter dicitur *Sabayo*, id eſt, *Signor*, ſiue *Dominus* Erat enim in Inſula Goa Præfectus, qui & ipſe Dominus erat ciuitatis, quando Luſitani eam primum occupabant, cui nomen *Sabayo*, vt proditum eſt in Luſitanorum Chronicis, de expeditione vrbis Goæ, à cuius nomine hodie reliqui denominati ſunt. Ædes eiuſdem Capitanei viſuntur adhuc Goæ, habeturque in iis Inquiſitio. Eſt & area latiſſima inter ædes dictas atque ſummum templum, quæ & ipſa *Sabayo* nomen retinet.

Inquiſitio in Goa.

CAPVT XXX.

ARGVMENTVM.

De Inſula & ciuitate Goa, totius Indiæ metropoli.

GOa metropolis eſt vniuerſæ Indiæ, totiuſque oræ maritimę orientalis, Luſitanis nauigando negociandoque frequentatæ. in ea reſidet Vicerex & Archiepiſcopus, cum reliquis Conſiliariis regiis, habetque hæc ciuitas imperium in reliquas Orientis prouincias: eſt & ibidem ſcala omnis negociationis in Orientem inſtitutæ, per quam merces mercatoreſque in emendo & vendendo ſuſque deque ſcandunt, vtpote Arabes, Armenij, Perſæ, Cambaij, Bengalæ, Peguani, Sianes, Malacenſes, Iauani, Moluci, Chinenſes &c. ſita eſt Goa ſub 15. gradu boreali, diſtatque ab æquinoctiali per 400. milliaria, in auſtrum, ſi videlicet à Moſſambiqua ad eam nauiges, qua Luſitanis curſus eſſe ſolet: ambit hanc inſulam fluuius: ipſa vero patet ad milliaria tria in orbem. ita in continentem extenditur, vt rectam cum continente ad oram maritimam lineam faciat, ſeparatur autem à continente fluuio, qui ad latus boreale ingreditur, & circuit inſulam donec ad auſtrale latus in pelagus exoneretur, ita vt inſula poſitu ſuo Lunam ſemiplenam referat. oſtia fluminis ad vrbis portas ſatis late patent, in alueo eius complures ſunt inſulæ paruæ, oẽs habitatę ab indigenis, vbi præter vrbem vectus fueris, quibuſdã in locis alueus adeo contrahitur vt alicubi, ꝑ æſtatẽ ſicco ferme pede pertranſeas, aqua vix ad genua pertingente. Paucos ante annos Luſitani ad latus illud Inſulæ murum & propugnacula extruxerunt, vt à vicinorum incurſionibus defenderentur, eorum videlicet qui continentem habitant, ſæpius enim euenit vt, motis inter vicinos bellis militantes ſimul in hanc Goæ inſulam incurrerent, & *Hidalcam* rex aliquoties *Goam* ad oſtia illa fluminis obſedit. Ad latus boreale terra *Bardes* eſt ſitu præalta, quo naues Luſitanicæ tuto ſe recipiunt iactis anchoris ſatis tuto, donec ad placitum naues mercibus impleãt. Bardes ſub Luſitanorum ditione eſt, habet paſſim ſuos Vicos, habitatos ab agricolis *Canaryns*, plæriſque Chriſtianis quidem, ſimili tamen cum reliquis Indis habitu veſtiti, nudi enim exceptis ſolis pudendis obambulant.

Chriſtiani nudi obambulãt.

Terra palmis Indicis *Coquen* fructum ferentibus referta eſt, vt & reliquæ inſulæ in alueo fluminis ſitæ. Terra *Bardes* ſeparatur & ipſa à continente per fluuiolum tam exiguum, vt vix diſcriminantem deprehendas. Ad latus auſtrale Inſulæ, inſulæ Goæ, vbi flumen in mare exoneratur, ſtatim terra *Salſette* adeſt, & ipſa ditionis Luſitanorum, habitata atque pari modo quo terra *Bardes* ſuis palmis culta, ſimiliter quoq; à cõtinente fluuiolo diſcreta. Sunt inter *Salſette* & *Goam* inſulæ aliquot paruę palmiferæ, vbi fluuiolus ille in mare exit, eſt deſerta, nec admodũ mom̃etoſa quædam inſula parua, *Goa Velha*, ſiue vetus Goa dicta.

Palmæ Indicæ Coquen.

Vetus Goa.

Decimæ.

Bardes & *Salſette* vtraque decimas ſuas regi Luſitano pendunt, cedũt eæ Archiepiſcopo, cœnobiiſque & clero vniuerſo, quin ipſe vicerex reliquique officiati ex iis ſua quoque ſtipendia participant, nec tamen niſi ſpeciali regis priuilegio & gratia facta. Inſula omnis montibus aſperrima eſt. ad quorum radices tam lutoſa eſt, vt pedibus ægerrime per eam iter conficiatur, verſus litus videlicet, & vbi oſtia ſunt fluminis; Habet inſula pagos paſſim habitatos à ruſticis *Canaryns* indigenis, ex agricultura & plantatione palmarum Indicarum vitam ſuſtentantibus.

Loca palmifera.

Tuguria ruſticorum plærunque ad oram inſulæ ſecus flumen & ad riuulos quoſdam interfuſos ſunt ædita, palmæ enim locis humidis & depreſſis & arenoſis ſecus flumina felicius proueniunt: hinc fit, vt ſi introrſum ad montium radices abeas, nullas ibi palmas videas: ſecus ad oras fluminum.

Fluuius ſupra Goam eſt in ea parte, vbi Eurum ſpectat, diſtans tribus milliaribus à Bardes, ſtationem nauibus Luſitanicis opportunam præbens, is paſſim in ſinus flectitur Si qua nauis mille doliorum eſt, ea ſecure ad vrbem appellere poteſt onerata: onerariæ vero Luſitanorũ, in Bardes primum releuari neceſſe habent, aliter ſaluæ ad vrbem non deuenient. Goa ciuitas ædificiorum magnificentia conſpicua eſt, plateæ Luſitanico apparatu inſtratæ, ædes ob ſolis æſtum feruentem humiliores. Sunt poſt ædificia vt plurimum amœniſſima viridaria qualia per totam Inſulam frequentiſſima videas, æſtiuariis ſaluberrimis animi gratia extructis, ſiquidem feminis Indicis nihil gratius accidere poteſt quam vt per prata, perque viridaria expatientur. Sunt in vrbe Cœnobia & templa diuerſa non minus ſplendida, atque Olyſſipone, exceptis monialium clauſtris, quorum ne vnum quidem per totam Indiam videas. *nec enim quiſquam muliebri ſexui perſuadeat, vt vitam in clauſtris ſolitariam viuere ſuſtineat, repudiata alma humani generis reparatrice Diua Venere: ſane vitam prius paciſcerentur, quã in eo conſentirent, vt moniales fiant, quin neque paciſci vitam pro* V E N E R E *vlla ex parte grauantur, dummodo libidinem ad ſatietatem impleant.*

Viridaria amœniſſima, arboribus conſita omnigenis.

Inſula non minus hyeme, quam ęſtate viret, arbores perpetuo per vices florent, fructusque ſuos ferunt, adeo vt tuentibus longe gratiſſimum, iucundiſſimumque ſpectaculum præbeant. Vrbs ipſa per montes & valles inſtar Olyſſiponis diſpoſita conſpicitur, habuit primum ſatis tenuia primordia, nullis plane cincta mœnibus, foſſa vna ſimplice & ſicca, quę præter pluuias, aquam non haberet; antiqui illi muri etiam hodie integri viſuntur, portæ duntaxat demptæ: ædificia circum circa excitata, ita vt modo ipſa vrbs duplo ſit maior & amplior extra muros antiquos, quam intra eoſdem. Ciuitas patet noctes dieſque, nullis omnino incincta mœnibus, nec propugnaculis defenſa. Inſula ipſa quidem murum continuum habet ad orientale latus, à *Salſette* ad *Bardes* vſque pertinentem, nec præter eum Luſitani in Goa alium receptum habent, quo ſe contra incolas vicinos tutentur in continente enim nihil quicquam proprium poſſident, nec ſunt in inſula Goa arces munitioneſue alię præter eas quæ in montium terræ Bardes ſummitatibus viſuntur. Eſt ad oſtia fluminis arx ruinoſa, ſunt in ea duo vel tria tormenta maiora æruginoſa, vigil vnus & ſolus quidem, qui noctu excubet. Inſula *Goa* ad maris littus in aditu admodum in altum attollitur, nec caret ſcopulis. Terra enim *Bardes* ad oram maritimã arenam habet albam & puram, vltra milliarium dimidium diffuſam. ad latus orientale tres quatuorue portis munitur, ſunt autem eæ recta ex oppoſito cõtinentis *Salſette* & *Bardes*. habitat ſupra portam quamlibet Capitaneus cum Scriba, excubantes, ne quis abſque conſenſu traiiciat alueum fluminis. *Indi, Decaqueni, Æthiopes*, & reliqui gentiles ex Goa continentem petituri vt edulia & alia neceſſaria cõquirant, neceſſario haſce portas pertranſeunt. tranſitus

autem

autem ipsis non patet nisi accepta tessera impressa in nudo brachio, qua tessera si consignati fuerint, libere traiiciunt, secus si symbolum nullum eiusmodi exhibere poterint: demum negociis expeditis ad ripam reuersi iterum exhibebunt Symbolum in brachio, absque illo non admittuntur gratis. soluunt pro imprimẽdo symbolo *Bassarcuncos* duos, qui nostris faciunt vnũ *dutgen*, siue cruciferos sex, Capitaneo & Scribæ istius portæ *Passos* ꝑ salario cedentes. ij noctu secum habent puerum, in id vt campanulam supra portam appensam pulset; puer sæpius somnolentus humi prostratus cubansue in lecto, campanã funiculo ad pedem religatam trahit è longinquo, in signum excubiarum, nec .n. aliæ sunt excubiæ in eo insulæ loco. Eiusmodi *Passo* seu portæ numerãtur quinque ad oras insulæ. prima est ad latus australe, qua in continentem, & ad ꝓuinciam *Salsette* traiicitur, antehac *Benesteryn*, nunc vero *Passo de S. Iago*, dicta, quod vicinũ parochiale tẽplum S. Iacobi nomen habeat: Secũda *Thebe de Passo*, est ad orientale latus insulæ, qua transitus est continentem petẽtibus, hodie *Passo Seco*, id est, via sicca, hoc. n. in loco flumẽ est minus altum, & alueus magis strictus est; tertia ad australe item Insulæ latus ciuitati vicinior est, *O passo de Daugyn*, siue *Matre de Deus*, dicta. atq; hucusq; pertinet continuatio muri, incipiens à *Passo de Benesteryn* siue *S. Iago*. quod reliquũ est insulæ, sine muro, & sine vlla munitione patet, & ex ea parte recta traiicitur in insulam eam, quæ in frontispicio continentis sita eandem cum ipsa facit lineam, vbi quarta porta seu *Passo* est, cui nomen *O passo de Norvva*. Quinta & vltima est in medio inter vrbem & mare sita, reliquis munitior, forma tamẽ non dissimilis, estq; illi nomen *O passo de Pangyn*: hac cursus est nauibus ad terram *Bardes*, quæcunq; item naues vel scaphæ fluminis ostia subire, aut per ea descendere volũt, ad hanc portam necessario appellunt, vbi officiati explorant quid rerum apportent, quoue apparatu aduenniant. Hactenus dicta concernunt excubias munitionesque pariter omnes, quotquot sunt in Goa.

Non nisi symbolo impresso datur commeatus per Passo.

Campanula Excubiarum.

Nomina portarum.

Quantum ad constitutiones, leges, statuta, Iurisdictionẽ, regimen tam Ecclesiasticum, quam politicum, in eo per omnia conueniunt cum Lusitanis. Viuũt in ciuitate promiscue cum Lusitanis quæcunq; nationes aliæ, vtpote *Indi, Æthiopes, Iudæi, Armenij, Gussarates, Benianes &c.* pari libertate religionis, & negociatione, nec enim quisquam contra conscientiam cogitur, exceptis ceremoniis gentilibus in funere cremando cum viuorum inferiis, item in matrimonio contrahendo, cæterisque abusibus & ineptiis. Pontifex enim in eo interdictum suum interposuit, adeo vt nec palam in vrbe, nec in insula exercere eas cõcedatur. ast in continente, & priuatim in domibus nihil non licet, nimirum ne ij qui recens ad Christianorum fidem accesserunt, offendantur. In politicis vero statutis, negociationibus sęcularibus & ipsa morum ciuilitate conueniunt cum Lusitanis, sub quorum ditione viuunt. Si quis semel baptizatus fuerit, & deinceps ad gentiles superstitiones relabatur, is in *Inquisitionem* incidit, quicunque is demum fuerit, siue quocunque in errore deprehendatur. Insula ex sua annona & prouentu sustentari non potest, nihil enim præter quędã animalia habet, vtpote Gallinas, Capras, Columbas &c. eaque paucissima, terra siquidem aspera & plane sterilis est, vtplurimum montibus atq; syluis inhospita. Cibaria & reliqua vitę necessaria, gallinæ, porci, oua, lac &c. ex terra *Salsete* atq; *Bardes* aduehuntur, quorum tamen pręcipua pars ex cõtinente petitur, præcipue siligo, oriza & legumina eiusmodi, oleum cætereq; merces transmisso flumine ex Cambaia, atq; à boreali littore, vt & ex Malabarorum agro, reliquisq; prouinciis adiacentibus conquirũtur, vti passim suis locis in descriptione littoris insertum est. Habent vinum ex fructu palmarum, *Coquen*, præparatum in tanta copia, vt vicinis locis de eo communicare possint sufficienter.

Libera est religio in Goa.

Inquisitio in nouos Christianos.

Vinum ex coquen.

Aquæ dulcis fons vnicus.

Aqua dulcis ibi non abundat, nec nisi vnicus fons est illis *Bangauyn* dictus, ad quadrãtem vnius milliaris ab vrbe, is in potum vniuersæ ciuitati facit. Aquam quam diximus fontanam afferunt mancipia in vrceis, venalemq; per vrbem circumferunt, potui gratissimam. At ea quam pro culina, proque lixis habent, ex pluuia in cisternis collecta domi asseruatur. Solum saxosum & siccum, rubicundum est, vnde quidam Itali chymicæ artis periti conati sunt cuprum & aurum inde elicere, à Rege tamen atque vicerege prohibiti sunt, ne videlicet à vicinis plus molestiarum haberent, creantes sibi ipsis malum ineuitabile, dum spe auri tantorumque thesaurorum potiendorum hostes eorum cupidos ad se pellicerent: atque ex hac causa hactenus nihil eiusmodi tentatum est.

Alchimistæ aurum in Goa quæsiuerunt.

CAPVT XXXI.

ARGVMENTVM.

De Lusitanis atq; Mesticis, qui ex Lusitanis in India procreati sunt, habitantibus partim in Goa, partim in locis vicinis.

Lusitani ducunt vxores Indas.

LVsitani matrimonia contrahunt cum mulierib. ex Indorum origine. inde nati liberi *Mesticos* dicuntur, quod idem sonat ac si dicas, genus medium. sunt autẽ *Mestici* vt plurimũ subgilui, licet matres & formâ & corporis proportione sint speciosissimę. Liberi vero nati in India vtroq; parẽte Lusitano, *Castisos* vocantur, in omnib. Lusitanis ferme similes, colore tamẽ modicũ differunt, vt qui ad giluum nõ nihil deflectat. Ex *Castisis* deinde nati magis magisq; gilui fiũt, à parentib. & mesticis magis deflectentes. porro ex *Mesticis* nati per omnia indigenis respondẽt, ita vt in tertia generatione Lusitanis reliquis Indis sint similimi. negociantur quotidie in *Bengalen, Pegu, Malacã, Cambaiam*, atq; in reliqua borealia australiaq; loca. Goæ quotidie frequentissima est congregatio tum ciuiũ & incolarũ, tum quarumcunq; aliarum nationũ vicinarũ: atq; ea ferme respondet ANTVERPIANÆ conuersationi loco consueto quotidie frequentatę; in eo tamẽ differt, q; Goæ nõ mercatores tantũ, sed & nobiles & cuiuscunque status homines conueniãt, simulq; ibidem ꝓstent merces omnis generis, ita vt nundinis ꝑpemodum æquiparãda sit, secus vero Antuerpię. Fit cõgregatio dicta tẽpore matutino, nisi cum dies Dominica, vel festũ fuerit, tum plane intermittitur. Diebus ꝓfestis incipit ea mane hora 7. desinit hora 9. nec tempore pomeridiano durat, ob Solis æstum intolerabilem. Celebratur in præcipua ciuitatis regione quæ *longa* dicitur, at area in qua cõueniunt vocatur *Leilon*. in ea fit ꝓclamatio mercium, per proclamatores à magistratu deputatos, ij & merces ipsi proclamant, & venales easdem exponunt.

Congregatio Goę.


Quandiu *Leilon* siue proclamatio durat, tandiu & proclamatores incedũt amicti torquib. aureis, gẽmis, clenodiis, margaritis, annulis &c. circũ circa stipati variarum nationum mancipiis & captiuis vtriusq; sexus & ætatis hominib. qui non secus atq; apud nos pecora, venales sunt, & datur ementibus delectus, differente tamen precio.

Forum clenodiorum &c.

Sunt ibi equi Arabici, aromata omnis generis, atq; alia sicca medicinalia, sunt gũmata odorata, & materialia alia, tapetes itẽ pulcherrimi, & multa multo artificio elaboratissima ex *Cambaia, Sinda, Bengala, China* &c. bona pars hominũ vitã sustentat ex eo, quod merces bono precio coemptas suo tẽpore deinde distrahunt cum lucro, quando preciũ augetur. Quod si accidit, vt familia aliqua omnis morte pereat, eius supellex in hunc locum deuecta auctione facta diuenditur, ita vt ne minimũ restet. neq; in eo differt persona à persona, tametsi vel ipse Vicerex inter eas comprehendatur.

Auctio.

Institutum hoc est, ne viduæ & orphani defraudentur, venduntur n. omnia



Munken so in den Orientalischen Indien als in CAMBAYA ORMVS MALAVAR COROMANDEL BENGALA SVMATRA MALACA IAVA MOLVCO und in den omligenden Inseln gebraucht werden

plurimi,atq; forũ hoc cuiuis patet, vnde vnius anni spacio incredibilis summa ex distractione bonorũ corraditur. Congregationes similes etiã in reliquis Indię locis à Lusitanis habitatis celebrãtur. Lusitani mariti ex vtriusq; sexus mãcipiis q̃stum faciunt,alunt aũt nonnunq̃ vel 10.vel 12.imo 20.vel 30. illorũ sumptu vilissimo. puellæ seruæ pparant omnis generis Cõseruas & cõfectiones ex fructib. Indicis, parant & res pulcherrimas arte phrygia atq; barbarca, q̃ ex iis magis iuuẽculę & forma sunt speciosiores mittũtur ab heris p ciuitatẽ passim, vt eiusmodi dulciaria atq; operas phrygias diuendãt, allicientes formositate sua emẽtes,magis libidinis quã merciũ emendarum studio flagrantes, nec.n. seruæ tergiuersantur sollicitatæ,vt q̃ ex eo quæstu vitam sustentent,lucrũ paratum,& reliq̃ summã ad heros deinde afferũt,ex qua illi & se& familiã alant.

Lusitani viuũt ex famulitio. Conseruæ. Confectiones.

Alij quæstum faciunt ex vsuraria,monetã suo tempore valore minimo conq̃runt cuius preciũ cum augetur, eã rursum diuendunt. Aduentantib.n. nauibus Lusitanis coemũt numos regales octonarios,quos accipiũt p 12. p centũ,reseruantes eos in Aprilẽ vsq; quando naues ex China appellũt, & numi illi regales studiose req̃runtur,in Chinã deportandi,lucrantur tum p centũ 25. & 30.facta pmutatione p alia moneta ab Armusio aduecta,cui *Laryns* nomẽ est,in qua similiter 8.vel 10.p centũ lucrantur,reseruant.n.& hanc,donec classis Lusitanorum in Septembri appellat,& permutando cum numis regalibus lucrãtur 20.& 30 p centũ,vt dictum est *Laryns* moneta necessario ipsis habenda est, si Cochinum petũt piper aliaque empturi,vbi ea moneta præ aliis q̃stuosa est.

Vsuraria.

Sunt & aliæ monetæ, *Pagodes*, *Venetiantes* & *Santhones* dictæ,ex auro in vsu,vnde multi huic vni studio vsurario ita se dedunt,vt rem suam ex eo admodũ augeant,maxime si summa notabilis fuerit. Fit ea permutãdæ monetæ negociatio vt plurimũ per personas ecclesiasticas, qui subornatis aliis, & ex parte lucrum communicantibus id clam agunt.

Sunt nõnulli in India,q̃ ex reditibus de palmis Indicis viuũt,ij sane ipsis laute sustentãdis sufficiũt,nec.n.alia p Indiã frugalior vita est. Sunt q̃ ex quaq; arbore quotidie recipiãt dimidium Ioachimicũ siue *Pardauũ*, atq; eo amplius, sine vlla impensa. Sũt ibi q̃ trecẽtas quadringentasue eiusmodi arbores in vno agro simul cultas habeãt,eas p certis reditibus annuis locant rusticis *Canaryns*, non secus ac nostrates syluas,pascua,prata,aut agros locare solent suis villicis.

Reditus ex palmis.

Nec Lusitani nec *Mestici*,q̃ in India sunt,opificiis exercentur,q̃ si fiat, rarum admodum est,aluntur.n.modis supra cõmemoratis,habẽt tamẽ opifices nonnullos inter suos,vtpote pilearios,sutores,ephippiarios,vietores,sed & isti suos habẽt amanuenses mãcipia,q̃ officinas curent. Opifices ipsi p plateas spacia ociosi faciũt,officiis plerunq; aliis pfecti, satis põpose incedentes, nõ secus ac si inter magnates annumerandi forẽt, ibi.n. infimus & summus sunt in honore pares,nec inter diuitem aut nobilem,aut plebeiũ in conuersationibus,& quotidianis congressibus vlla est differentia.

Mancipia opifices.

Quotquot reliqua officia exercẽt aut Ethnici sunt aut Indi indigenæ baptizati, neq; q̃sq̃ immunitatib. priuilegiisq; ciuilib. in *Goa* gaudet, nisi maritus sit & rẽ familiarẽ instituerit. Nõ sunt inter illos nisi duo status, videlicet vnus *Vxoratorũ*,& alter *Soldatorũ*, q̃ nomen lõge omniũ honorificẽtissimum est, nõ q̃ stipendiarij sint, aut Capitaneũ agnoscãt cõscripto exercitu, de quo nihil cõstat omnino p totã Indiam, q̃primum.n. Lusitani in Indiã appulerint, simulac cuiuis liberũ est quaq; versus excurrere,nec obstat q̃ in India in albũ peculiarem cõscripti sint,q̃ simul cum classe in Indiã deportatur. Conscribuntur sane, hoc quo dicem⁹ modo. Simulac nauis aliqua ex Lusitania in Indiã soluit, quotquot in ea vehnutur, & nomina sua propria, & cognomina & stipendium quod à Rege accipiunt, indicare tenentur, quæ simul in Indicem referuntur: sunt inter illos qui gaudeant titulo *Fidalgo da caza de Roy nossa sennor*, quod

Non nisi maritus in Goa erit ciuis. Duo status in India. Consignatio stipendiariorum.

 idem

idem ſonat,ac ſi dicas,Nobilis aulicus regius,atq; hic titulus excellit præ aliis.

Tituli dignitatum.

Sunt alij titulo *Moſos Fidalgos*,non minus honorifico,qui parentibus nobilib. procreati ſunt,vel à rege nobilitati. Sunt & *Cavalliero Fidalgo*,qui titulus priorib. inferior eſt.nihilominus tamē ſatis eminens, pertinet.n. ad equites,qui ꝓpria virtute & fortiter actis rebus eū ſibi ꝓmeruerunt; at facilimus eſt ad eū aditus, ſi quis.n.militatum iuerit,hoſte eminus ſaltem cōſpecto,impetrat à Præfecto, ſiue alio Nobili,vt equitis eiuſmodi immunitatib. donetur: in quem gradum cum euecti fuerint,dici nō poteſt,q̃ inflati turgeāt & glorientur; eſtq; tam vulgaris hic dignitatis gradus,vt cuius propemodum *lixæ* & *ſtrincero* contingat.

Sunt alij *Moſos de camara, du Numero è do Seruiſo*,id eſt, qui ſunt à cubiculo regis,ſiue cubicularij regij horum aliqui nudo nomine gaudent,alij officiis præſunt, eſtq; hic primus gradus ſiue inauguratio ad honores, ex quo deinde per officia paulatim ad maiores honorum gradus conſcendunt, ſpirantes temporis ꝓgreſſu ad reliquos ſuperiores oēs. Luſitani in his honorū gradibus multo gloriantur arrogantius,q̃ in totius mundi theſauris & diuitiis precioſiſſimis.

Luſitani plus in honoribus quam in diuitiis gloriantur.

Tandem ſunt & *Eſcuderos Fidalgos*,id eſt, armati milites quorū gradus honeſtus eſt. reliqui in nauib. habentur conſcribunturq; ſub titulo *Homes Ouerades*, id eſt viri honeſti. Omniū infimi nullis omnino titulis gaudentes ꝓ ſtipendiariis vulgarib. habentur. ſunt.n.nil niſi manipulus furū, quib. nomen, *Rapiamus* non male conuenit. Status hactenus commemorati ꝓ cuiuſq; gradu proq; titulo indito ſtipendia accipiunt,& integrum eſt cuilibet eorū vt rebus fortiter à ſe geſtis,aut officio fideliter obito vel potius ꝑ gratiam ad altiorem gradatim aſpiret titulum,vnde ſtipendium illi magis opimū contingat. Conſcriptis eo, quo dixi,modo ſingulis,traditur cōſignatio officiato regio,ſumma fide & cura cuſtodienda,cuius officiati munus ſingulis triēniis cōmutatur quemadmodū & reliquorū,is *Scriba generalis matriculæ* dicitur, habetque ſub ſe tres quatuorue alios Scribas,quorum operas ipſe regit.

Conſignatio ſtipendiariorum in Indiam mittitur.

Incipiente æſtate in India,atq; neceſſitate poſtulante,vt expeditiō mari ſuſcipiatur,vel vt cum hoſte aperto marte confligatur,vel vt oræ maritimæ ſecuritas ſua conſtet,vel vt hinc inde negociantiū naues ſaluæ deducantur, defendanturq; à pyratis Malabaris,ne mercatorib. infeſti ſint,vt ſæpe fit,tū in menſe Septēbri,cū videlicet æſtas ingruit,publice dato ſigno ꝑ tympani pulſum proclamatur,ſi qui in regia claſſe militare velint,ij ad locū *Matriculæ* ſe recipiant,vbi nominib. profeſſis arram accipiant. quo facto cōſtituuntur à Vicerege Præfecti,Capitanei & officiati ꝑ ſingulas triremes,eſt autē numerus centū virorū in naues ſingulas maiores, in minores triginta vel circiter. cōſcriptis ſoluūtur ſtipendia,ꝓut quiſq; titulum habet,aut ꝓut in Luſitania albo adſcriptus fuerit.

Diſpoſitio in expeditione mari ſuſcepta.

Salaria ſtipendiariorum &c.

Solutio ſtipendiariorū ſingulis quartalibus,ſiue ternis menſib. perficitur. ſtipēdiarius vulgaris habet 7. *Pardauos*,illis *Xetaffins* dictos,quorū vnus tribus *Teſtonibus*,noſtris Dick Pfenning valet. Qui honeſti viri titulū gerit,habet in quartale *pardauos* nouē *Moſo de camara* habet *pardauos* vndecim, atq; ita de reliquis, ſeruata ꝓportione. Adhęc ipſi Capitanei ſtipendiarios precib. vltro ſollicitant,atque ex ꝓpriis ſumptibus ſtipendia illis aucta præter regis ordinariā ſtipem offerūt,ſiquidē præfecti inter ſe certant militū præſtantia,alimenta priuato ſumptu parantes ad militū fauorem demerēdum. Dum in nauibus & triremib. viuunt, accumbunt oēs pariter ad eandē tabulā, & Capitanei ſtipendiarios ſuos ſatis aulice & honorifice excipiunt,nec.n.aliter eos obedientes habebūt. Claſſis ad littus paſſim oberrat,atq; in Aprili demum vix tandem in portum aliquē appellit,vnde Goam reuertitur,per hyemem quietura. Goam tenentes ab expeditione ſoluuntur,nec datur porro ſtipendium regium, ſed cuiuis liberum eſt ex ſentētia viuere,& abire quocunq; locorū libitum fuerit. Poſtea Vicerex

teſtimo-

testimonium publicum per diploma decernit, Classis summo Præfecto, Regi Lusitaniæ offerendum, in eo testatur, dictum præfectum ex Viceregis mandato tot menses militasse Regiæ maiestati, defendendo oram maritimam à Malabaris infestantibus: adhæc si quid laude dignum & fortiter ab ipso actum est, illud minime tacitus præterit, sed suis coloribus magnifice depingit, exaggerans impensas priuatim factas in regis stipendiarios &c. Capitaneus siue Præfectus tali diplomate instructus in Lusitaniam nauigat, & diplomate prolato promotiones præ cæteris ad maiores dignitates à Rege ex merito obtinet.

Testimonia militantium.

Forma testimoniorum.

Aliqui Nobilium liberam mēsam per hyemem habent, ad quam *Soldatis* liber accessus patet; Super qua liberalitate sua dicti iam Nobiles sibi publicum testimonium in scripto confici curant, inserentes simul quæcunque exaggerandæ rei gratia in mentem venerint. Eiusmodi testimoniorum conquirunt 10. 12. vel 20. quibus instructi à Vicerege veniam petunt, Lusitaniam repetentes, regique ea offerentes petunt ab eo præstita seruitia sibi recompensari.

Opus præterea habent testimonio à Scriba Matriculæ, in fidem definitæ mansionis in India, quandiu ibi stipendia fecerint, & quod se per omnia dignos titulis suis gesserint. Si enim eueniat, vt eorum quispiam apud dispensatorem victualiorum æs alienum conflarit (nec enim rarum est victualiorum debitum, aut rationes minus liquidas conciliasse) id simul in Diploma inseritur. Necesse ergo est, vt Capitanei ab officiatis omnibus simul sua habeant testimonia, quibus probent se irreprehensibiles & fideles in regiis negociis per omnia fuisse. Instructi itaque literis eiusmodi salui conductus Lusitaniam repetunt, suntque illis iam meditata ea, quæ à Rege in recompensam impetrare sperent: quod si præterea patronos in aula habeant, & si honorariis elargiēdis instructi fuerint, facile promouentur ad officia, quæ nisi triennalia sunt, nec nisi in propria persona à quouis promoto administranda veniunt. sunt autem ea præfecturæ, Curaturæ, Iudicis ue aut Scribæ partes. nec raro accidit, vt officia quædam impetrent ex gratia, quæ vel aliis committere, vel precio vendere, vel filiabus in dotem attribuere possunt. quod si fit, necesse est, vt diploma illud in aula regia protocollatum, & deinde ad Viceregem Indiæ missum confirmetur.

Testimonia à Scriba matriculæ.

Officia ex regia gratia collata.

Officia de quibus hic agitur, aliter non conferuntur, nisi vt tum demum adeantur, quando vacarint, & ordo expectantium quenque postulet; quando vacauerit locus, recurritur ad Regesta, inquiritur quot præcedant quenque. quod si ordo immediate aliquem requirit, aut ex præcedentibus aliqui vita interim functi fuerint, siue peregre abfuerint, tum succedit quisq; proximus qui præsens adest. Atque hæc sunt quæ de apparatu bellico Lusitanorum in India breuiter afferre volui. Cætera quæ iudicia & negocia forensia concernunt, ea fiunt eodem processu, quo in Lusitania.

CAPVT XXXII.

ARGVMENTVM.

De re familiari Lusitanorum & Mesticorum, de moribus, de ciuilitate, de coniugio, cæterisque eorum consuetudinibus.

Lusita-

Luſitani habent numeroſa mancipia.

Munditics.

LVſitanorum, Meſticorum, reliquorumque in India Chriſtianorum œconomica adminiſtratio equidem honeſtiſſima eſt atque ſplendidiſſima. habent vt plurimum, quinque, ſex, ſeptem, decem, viginti pluresue ſeruos ancillaſque ſeu mãcipia, quorum ſinguli ſua procurant heris ſuis vxoratis. in re familiari ipſorum eſt multa mundities, præſertim ſi lintea ſpectes, induuntur quotidie recentibus linteis, idque non heri atque heræ tãtum, ſed & ancillæ, ſiquidem terra nimio ſolis æſtu feruet. Luſitani in genere magnifice & faſtuoſe viuunt, ſeq; à ſuis magni pendi poſtulant, ad quorum nutum ſerui ſe accurate componant neceſſe eſt, neque eſt vlla inter nobiles, ciues, aut Soldatos differentia, ſi inceſſum, mores & vitã ſpectes. incedunt per publicum gradu lento & elato, ipſi faſtu turgentes pone famulum habent latum pileum ſupra verticem ipſis ſublatum in ſublimi ferentem, quo à ſolis æſtu & pluuiarum iniuria defendantur. Si pluuiæ fuerint pone plærique puerum habent, qui veſtem talarem ſericam aut aliud pallium portet, quo heri aduerſus eas ſe tutentur. horis matutinis ſimiliter puerum pone ſequentem ſecum habent, qui puluinar ex holoſerico portet, quod in templo adorantes ſub miſſa ſubſternant. idem fit de gladio, quem puer, incedentes pone ſequens fert, vt & heri maiore cum grauitate incedant & minus moleſtentur Obuiam ſibi in publico facti, vtuntur ſolenni *Beſolas Manos*, inflectunt ſe pedibuſque inceſſunt, capita nudantes, nutanteſque iiſdem, depreſſi ferme ad terram vſque. Templum ingreſſis ſellæ ſtratæ ſunt, quas dum occupant à circumſtantibus omni honore afficiuntur flexis genibus eos ſalutantibus. Si cui honos more conſueto deferretur, nec ſalutatus rite reſalutaret, ſane ob hanc vnicam inciuilitatem multum mali illi paratum erit, quin corpus eius totum tuber atque liuor futurum ſit ex plagis. ducunt enim id maximę in famiæ, nec vllo modo ferendæ, quin nullum aliud dedecus maius homini accidere poſſe putant, quam ſi inultum id abire ſinerent. Si quando ab aliis læſi iniuriam vlciſci ſtatuunt, conuocant amicorum 10. vel 12. congregatique operiuntur aduerſarium, qui vbi in caſſes incidit, peſſime illum mulctant verberibus, donec ſemianimis iaceat, idque adeo per famulos fieri ex dominorum iuſſu, non rarum eſt.

Pileus pro pluuia.

Puluinar Luſitanos pone ſequitur

Ambitio Luſitanorum.

Vltio Luſitanis vſitata.

Vlti hoc modo aduerſarium & honori & fortitudini ſummæ id ſibi ducunt, quin palam ſæpe de tam ſtrenue facto gloriantur. Vbi animus non eſt aduerſarium vita omnino exuere, verberibus duntaxat tergus illi tam probe contundunt, vt ſalpam nemo friabiliorem ictibus reddiderit. fit contuſio ea arundine femoris craſſitiem habente, illi *Bambus* vocant, ex qua contuſione patiens vltra octiduum ſæpe lecto affixus decumbit, quin contuſum ſeminecem relinquunt, vti quotidie vſu venire ſolet, nec eſt qui id curet, aut contuſum reſpiciat.

NOTA. Bambus.

Narnkolben.

Habent pręterea ſacculos oblongos arena oppletos, quibus lumbos ſæpe inuicem ſibi pertundunt, donec incuruentur elumbes. Si quis alterum in ædibus priuatis conueniat, conuentus autem alicuius autoritatis vir ſiue dominus ſit, at conueniens niſi Soldatus, moris eſt, vt ædium dominus ad fores deſcendat, obuiam pileum in manibus geſtans magna cum diſcretione & reuerentia hoſpitem excepturus, deducenſque eum vſque in conclaue ſuum colloquio deſtinatũ, ſedile in medium apponit, ſuper quod aſſideat hoſpes antequam & ipſe accumbat. Hinc cauſam aduentus ſciſcitatur, & colloquio habito iterum ad fores eum deducit, pari reuerentia *Beſolas Manos*, in comitatu dominus ædium ſubſequitur: quod ſi ædium dominus dicto more minus vteretur, aut hoſpiti ſedile aliquod minus apponeret, ſiue quod non haberet retro

Ambitio Luſitanorum.

fulcrum

fulcrum cui recumbens inniteretur, ſane id ab hoſpite minus dextre acciperetur, quin omnem lapidem mouebitis, donec iniuriam eam vlciſcatur.

Matrimonia contrahentes atque nuptias ſolenniter celebrantes, cuiuſcunque demum vel loci vel ordinis fuerint, plane nemine excepto, conueniunt proximi conſanguinei, & vicini in equis, ſi qui equos non habuerint proprios, ab aliis conducunt eos, ſuntque pariter omnes ſplendide amicti, numero 50. vel 100. pro qualitate perſonæ, in cuius gratiam ea pompa inſtituitur, ordine deinde per membra obequitant ad templum vſque, vna cum famulis, qui pileos latos ipſis contra Solis radios pone obtendant. Conſanguinei cum inuitatis priores equitant, pone ſponſus medius inter duos paranymphos (*illi compatres* vocant) inuehitur equo. ſponſum ſequitur Sponſa, geſtata in medio duarum pronubarum (vocant eaſdem *Commatrices* ſiue *Commeres*) tres eæ in vno membro ſingulæ ſingulis *Palankyns* geſtantur ſplendidiſſimo quas famulę pone per pedes more canum venaticorum inſequuntur, in templum delatæ, iamq; more Romano per ſacerdotem conſecratæ, eodem quo prius proceſſu domũ reducuntur. inter reducendum, vbi nimirum ædes feſtiuas contigerint, proſpiciunt conſanguineæ atque vicinæ mulieres ex feneſtris, inclinatę in tapetes precioſiſſimos, præteruectoſque nouos maritos aqua roſacea aut aliis fragrantiſſimis deſtillationibus, item folijs roſarum, confectione coriandri, &c. inſpargentes. Honoratiores in equis mancipia ſua ſecum habent, ſuauiſſime tubis atque tympanis cantantes. Deducti iam in domum noui ſponſi, vteruqe multa cũ reuerentia, atq; ſolennitate inuitatis & in equis ante ædes circũuectis gratias agit, ſe ſimul intro recipiens. & magna cum grauitate in ſuperius cõclaue conſcendens in feneſtras vna cum mulieribus pronubis conſidit, quo facto hoſpites inuitati in equis ſinguli & ordine in gyrum equos flectunt, in gratiam & ſpectaculum Sponſorum, *Comperos* ſiue paranymphi feruntur primi, eos reliqui ſequuntur ordine, obequitantque ita in gyrum vice plerunque tertia, tubis ſimul continuo perſonantibus; quotquot enim pauloſunt in re lautiore, illi alunt ſibi peculiares tubicines. Hoc equorũ curſu finito, ſinguli ad feneſtrã ex qua ſponſi ꝓſpectant, honorẽ illis deferẽtes obequitãt, exceptis paranymphis, qui ad ſponſos cõſcendentes vota faciunt connubiiq; fœdera precantur fauſta. Hinc offerunt ſponſis confectiones, paneſq; martios, quib. libatis aquæ hauſtum addunt; tandem peractis quibuſdam ceremoniis ſolennibus, diſcedunt & ipſi paranymphi. nec remanent niſi tres quatuorue proximiores, quibus prandium modicum ſed valde opiparum, licet vili admodum ſupmtu paratum apponitur, *neq; diu ducunt cõuiuium, ſed ſpõſum ſponſamq; correptos in thorum genialem protrudunt ocyus ſine vlteriore vel ſumptu vel præfatione,* qui finis eſt Nuptiarum, teſte Hymineo. Quin accidit ſæpius, vt horis duabus ante ſolis occaſum, prius grabatum genialem repetant, nec enim moram tam patienter ferre poſſunt, atque in noſtris regionibus deſponſati. Puerperia pari cum ſolennitate in equis ad templa deducunt. Suſceptor poſtremus inuehitur equo ſolus, nullo à latere comitante, ſequuntur eum famuli duo pedites, alter portat patinam argenteam deauratam, plenam panibus albis friabilibus, non abſimilibus Luſitanicis, quos *Roſquillos* vocant, in medio patinæ ſtat candela cerea deaurata & ipſa, & monetis quibuſdam aureis argenteiſque appenſis ornata circumquaque, Sacerdoti puerum baptizanti offerenda: alter Salinum argenteum deauratum iuſtæ altitudinis vna manu fert, manuque altera gutturnium ex eodem metallo ſuſtinet, pendent vtrique ex collo mantilia, multa arte elaborata. Pueros ſequuntur lecticæ duæ, illis *Palankyns* dictæ, in vna vehitur Suſceptrix, ſiue *Commeres*, in altera obſtetrix cum infante circumdata veſte precioſiſſima illi miniſterio peculiariter deſtinata. finito baptiſmate infans eodem

Nuptiæ.

Pompa nuptialis.

Roſæ ſparſæ.

Conuiuium nuptiale

Concubitus feſtinus.

Puerperia.

quo prius processu domum reducitur; reuersi domum in equis similiter in orbem certatim feruntur ante fenestras puerperij, in quibus *Comeres* spectatum assidet, inflantur tubæ & reliqua musicalia instrumenta, pari modo quo in nuptiarum celebratione fiebat. Atque eæ nuptiarum ceremoniæ, quas supra explicauimus, obseruantur à patribus familiâs. Iuuenes siue *Soldati* sponsi per æstatem in nauibus cum æqualibus pompam instituunt, vehunturque per fluminis alueum donec ad locum destinatum appellant, vbi vrbem ingressi, omnes pompose per publicum incedũt, vtentes grauitate sua, stipati seruis partim mancipiis suis, partim conductitiis præferentibus pileos aduersus pluuias: etenim Indorum aliqui ministeria eiusmodi conducti precio obire solent, accipiunt in diem 25. *Bassarucos*, qui nostris 12. nummos aut batzionem faciunt, conducuntur ab iis qui vel famulis carent, vel iis ad eiusmodi seruitia vti nolunt. Moris est vt 10. siue 12. *Soldati* communibus sumptibus simul rem familiarem instituant, conducto vno atque altero flauo, qui seruilia officia curet, indusia lauet, vestes purget. singuli singulos lectulos habent, vescuntur oriza, simplice aqua & modico sale decocta, item paucis salitis piscibus & oleribus facile parabilibus, panem non habent, bibunt puram aquam.

Nuptiæ Soldatorum.

Victus.

Vestes.

Vestium hæc ratio est: quotquot simul viuunt in vna domo non nisi vnam aut duas vestes sericas habent, si ex conuictoribus vnus in publicum procedit, tum reliqui domi se continent: domi autem vestibus non vtuntur, vtpote in nudis indusiis & femoralibus linteis tantum domi sedentes promiscue, heri cum seruis, quod ob solis æstum fit, adhæc si vel vicies in die domum egressi fuerint, opus est vt quaque vice vestes resumant, iterumque reuersi deponant. Habent interdum secum aliquem Capitaneum aut nobilem aliquem, qui pecuniam ipsis largiatur, qua vestes in æstatem ad expeditionem parent, atque vt eos sibi ita deuinciat, paratosque reddat, siue quando vel noctu vel interdiu ope ipsorum in aduersariis vlciscendis vti velit. Quicunque enim plures *soldatos* aut amicos in India habuerit, is præ reliquis in existimatione est. atque hic est modus atque compendium, quo pariter omnes honeste viuere possint, ita vt nec inter summum, nec infimum vlla differentia animaduertatur. plurimi *Soldatorum* victitant sumptibus, quos à reliquorum Lusitanorum vxoratorum, Mesticorum item, & Indorum Christianorum vxoribus accipiunt, eæ enim amplas largitiones in eos profundunt, eo fine vt libidinibus exaturatæ pfruantur, qua in arte mille modos callẽt. Habent alij patronos qui illorum opera vtuntur in negociando, mercibusq; hinc inde inuehendis distrahendisque, dicuntur tales *Catyns*, nec in expeditionem abeunt, aut alia officia regia tractant, ad quæ nullus cogitur, tametsi nomen eius in Lusitania cum reliquis consignatum sit: fruuntur & illi ipsi nomine *Soldati* communi cum reliquis, donec extra coniugium fuerint. Hodie plures ex *Soldatis* animum ad mercaturam, quam ad regia officia applicant, siquidem Præfecti & Nobiles paulatim remiserunt à beneficiis antehac in *Soldatos* more collatis. adhæc præcipue *Soldatorum* intentio hodie eo spectat, vt rem sibi comparẽt, vnde in ocio & voluptatibus vitam deinceps quiete degere possint; proinde si ea commoditate vti possunt, præferunt negociationem, & vitam vxoratam, nec enim stipendia militibus debite soluuntur, & si quando decem aut viginti, ob præstita seruitia litteras commendatitias consecuti sunt, illis non concessum fuit in Lusitaniam redire cum donariis necessariis, sine quibus minus accepti futuri sunt. adhæc si qui propter præstitorum officiorum recompensationem meruerunt esse inter *Expectantes*, ij tam sero in ordine successerunt, vt sæpe complures interea prius vita quam officio fungerentur; alij vero ob itineris nimiam longinquitatem & pericula mari suscipienda malunt in India primam quam-

In indusiis sedent.

Beneficia nobilium.

Lasciuia mulierum.

Mercatores ex Soldatis.

quamque conditionem acceptare, quam denuo de vita periclitari. Atque eædem hæ causæ sunt quod nec bellicus apparatus ea qua debet expeditione conficitur, nec nauigationes porro nouis terris inueniendis suscipiuntur, vti factum fuit à principio, tum enim gloriam & nomen posteris celebrandum prius habebant ipsis mundi opibus. at hodie non nisi prædæ & rapto inhiant, tam reliqui officiati atque ipse vicerex, quam milites gregarij, quo in numero Ecclesiastici vel præcipui sunt, qui salutem subditorum, prouinciarum, aut regis officia curet nemo est: suum quisque lucrum quærit, subducta ratione se vltra triennium in officio non fore, vnde ingenue profitentur, se non in animo habere, vt ea in statum meliorem velint redigere, quæ ab antecessoribus suis neglecta sint: posteris ea relinquenda: traditam sibi à rege administrationem eam in recompensam præstitorum, non præstandorum officiorum, neque vt commodum prouinciæ quærant: atque hæc est causa, cur aliæ nouæ terræ hodie non inuestigentur, quin inuentæ etiam amittantur paulatim. sane vix sufficiũt defendendis terris, ante annos cõplures inuentis & vi occupatis, tum oræ maritimæ securandæ, vnde multi negociantium bona sua intra annuum temporis spacium propter infestum mare atque præfectorum oscitantiam amiserunt, quin ea rerum facies est, vt indies peiora metuantur, quod quilibet paulo attentius obseruans facile deprehendit. Atque hæc sufficiant de moribus & ceremoniis Lusitanorum in India: item de expeditione mari suscepta. neque enim terra patet, propter diuersas nationes & reges interpositos, mutuisque dissidiis continuo digladiantes; quorum alij sunt à partibus Lusitanorum, alij illis aduersantur. Nec enim Lusitani in India quicquam possident, præter loca quædam maritima, item ciuitates, munitiones & portus secus littoris ductum excitatos, in ipsa continente plane nihil habent propriũ, vti in descriptione littoris ordine singulatim indicatũ fuit. Mores & habitus nunc enumerati patebunt postea in tabulis; vt & nauium structuræ, quibus in expeditionibus vtantur tam Lusitani quam Malabari. nec enim alias nauium aut celocium formas habent: sunt ea nauigia leuissima, damno dando apprime accommoda, velis remisque apta, & mercatoribus valde idonea atque expedita.

Causæ cur porro aliæ terræ non inueniãtur.

Priuatũ commodum.

Terræ amittũtur.

NOTA. *Lusitani in continente Indiæ nihil possident.*

CAPVT XXXIII.

ARGVMENTVM.

De moribus Vxorum Lusitanorum, Mesticorumque in India.

VXores Lusitanorum & Mesticorum in India vt & Christianorum recens baptizatorum, raro in publico comparent, domi sedent vt plurimum inclusæ, raro egrediuntur, nec nisi sacrum audituræ, vel se inuicem salutaturæ, quod & ipsum rarissimum est, & tum quidem obuelatæ in lecticis *palankyns* feruntur, vt à nemine conspiciantur. ad sacrum aut mutuos congressus accinctæ induuntur margaritis & vestibus preciosissimis, armillis aureis *Manilias* ipsorum lingua vocatis. pendent ex auribus series integræ clenodiorum; vestes sunt ex serico vndulato, ex serico villoso, & *Brocacto*. nec enim vilior tela est quam sericum simplex. Domi communiter nudo capite sunt, nec nisi indusio ex tela lintea, illis *Baiu* vocata,

desuperque ad vmbilicum protensa amicti, ea tam subtilis est & pura vt cutis subterluceat: ab vmbilico ad genua aliam telam pictam ter quaterue complicatam lumbisque circundatam habent: quæ sane tegmina elaboratissima sunt ab omni genere colorum atque emblematum, reliquæ corporis partes plane nudæ relinquuntur, tibiæ nudæ, pedes nudi soleis tamen induti, quales & viri domi incedunt. atque hic habitus communis est domi tam pueris quam senibus, diuitibus & pauperibus, nemine excepto, siquidem raro egrediuntur, nec nisi obuelatæ & in lecticis, negocia foris curanda exequuntur mancipia. Mulieres pane non vescuntur, aut admodum raro, vt nec serui nec ancillæ, nō propter annonæ caritatem, abundat enim siligo, sed quod ad orizam adeo assuefacti sint vt alium cibum non expetant, decoquunt orizam ex aqua & comedendo eam addunt piscis saliti genus, aut fructum salsum, *Mangas* illis dictum, siue etiam alium cibum ex piscibus aut carnibus præparatum, quibus appositis iusculum infundunt, cibumque tandem digitis capiunt, nec enim ibi vllus est vsus cochleariorum, quin si viderent cochleari vtentem, haberent eum ludibrio. bibentes vtuntur poculo ex nigra terra facto perpulchre, simili eo vasculi genere quo nostri vtuntur floribus ornatus gratia reponendis. in collo eius interstitium multis foraminibus peruium est, nomen huic vrceolo est, *Gorgoletta*, bibituri subleuant illud ita vt ori non admotum desuper aquam in os apertum defluentem gargarizantemque sine vllius guttæ profusione infundant, nolunt enim vt cuiusuis ori admotum sit, in eo munditiam spectantes. Nouitij qui ex Lusitania primum adueniunt, si hoc bibendi ritu insueti adhuc vtuntur, perfundunt plærunque vicinas ori partes, ob id delusi vocantur *Reynol*, qua appellatione nouitiis rudioribus ex Lusitania recens aduectis illudunt, vt qui fastui & Lusitanorum inflatis moribus vti nōdum didicerint, iidem etiam primitus incedentes per vrbes à vulgo subsannantur, donec paulatim assuescant vti grauitate; at nec opus habent longa disciplina ad id, vix enim dici potest quam dociles sint.

[Margin: Vestitus muliebris. — Poculum Indicum. — Nouitij Lusitani delusi.]

Viri adeo suspiciosi sunt in vxores suas, vt virum omnino nullum in ædes eas admittant, quas cum vxoribus inhabitant, tametsi fuerint inuicem coniunctissimi, nulli enim copiam faciunt vxores aut filias contemplandi. Quod si compater quispiam, aut maritus cum vxore visitandi gratiâ adesset, simulque ad spectacula publica aut aliam solennitatem adire velint delectationis gratia, tum totis seruorum atque ancillarum gregibus protectæ stipantur, quorum ministerio vtuntur. Si quis fores pulsans herum quærit, tum mulierculæ atque filiæ domesticæ statim se proripiunt, dominus ædium solus remanens fores pulsanti responsum edit. ad hæc neminem virilis sexus qui annum decimum quintum attigerit, secum in ædibus, vbi fœminę simul fuerint habitare patiuntur, tametsi ipsi filij heriles fuerint: illis non procul inde peculiares ædes traduntur, in quibus separati à mulierculis habitent, nec vllo modo ad mulieres accedere illis conceditur, cibaria per famulos parentes illis mittunt. Contigit vt fratrum liberi rem cum vxore patrui habuerint, & frater cū fratris vxore concubuerit, quin imo frater cum sorore, quales ipse noui aliquot, qui in facto deprehensi ambo à marito perempti sunt. Incredibile dictu est quam lasciuę & luxuriosæ sint mulieres, raro inuenias, quæ præter maritū nō alios duos alat adolescentulos cōcubinos: norunt mille artes, quibus noctu diuque clam per famulas & lenas eos admittant, per tecta domorum, per muros, per inuia, licet à maritis omni cura custodiantur: *Habent præterea herbam quandam Dutroa vocatam, cuius seminis succum expressum viris propināt in cibo aut potu, quo sumpto vir insano similis, sopitur, nec intelligit quicquam, ridet perpetuo interdumque obdormit prostratus velut exanimis, qui cum hoc modo infatuatus est, vxor libere cum amasio*

[Margin: Zelotypia. — Masculus 15. annorum non erit in ædibus matris. — Incredibilis lasciuia. — Dutroa infatuat.]

masio Veneri indulget, viro præsente, & rerum omnium ignaro. Delirium hoc durat horis 24. at enim si pedes eius frigida laueris, redit ad sanam mentem, nihil mali suspicans, credit enim se somno oppressum iacuisse.

ANNOTATIO DOCT. PALVDANI.

HErba Dutroa à quibusdam dicitur Tatula & Datula, Hispani vocant Burlatoram, Arabes Maranam, Persæ & Turcæ Datulam. habetur eius descriptio in tractatibus de re herbaria, si quis receperit seminis eius ʒ. ß. ***is ad tempus infatuatur, ridens perpetuo.***

FRequens est illis maritos veneno tollere, nulla alia de causa, quam quod vxores eos fastidiant, *norunt venenum quod sumentem prius non enecat, quam hora destinata adsit. præparant illud vt sex annis integris intra corpus absque vlla noxa delitescat, at enim vbi hora destinata aderit, facit illud officiũ suum antequam abeat semihora.* præparãt id in annum vnũ, in biennium, in triennium, menses, dies, prout ipsis commodum erit, quod & ipse vidi, & ipsis vsitatissimum est. Similiter complures etiam vxores à maritis suis tolluntur, deprehensæ videlicet in adulterio, aut sola suspitione mariti insimulatæ. mariti gulam illis præcidunt, producunt deinde tres aut quatuor testes, qui dicant noctu seu die viros peregrinos ad eam itasse, aut quid aliud afferant, quibus auditis absoluitur reus in continente, idque secundum Lusitanorum & Hispaniorum constitutiones. & integrum est illi quam primum aliam ducere, nec tamen hæc legis seueritas vel minimum terrorem mulierculis incutit vt luxuriæ suæ moderentur, licet quotannis infinitus earum numerus pereat: quod adeo vulgare est, atque vsu ita inualuit, vt porro nemini id mirum videatur. *Ipsæ mulieres ingenue profitentur mortem ipsis nec honestiorem nec optabiliorem contingere posse, quam si tali fato pereant, eo enim modo se* VENERI *Deæ in sacrificium dari, ob illi strenue militiam functam, aiunt, quo nihil sanctius, nihil matronæ præstabilius sit.*

Mulieres viros veneno perdunt.

Viri mulieres perimunt.

Mulieres & à natura sunt mũdiciei studiosissimæ, tam in re familiari, quam in toto corpore: præter enim quod quotidie recentibus linteis induantur, lauantur quoque quotidie per totum corpus, quæ lotio ab aliquibus bis in die fit, vtpote mane, & meridie. *Quin quoties aut aluum, aut vesicam, aut renes purgarint, toties abluuntur, tametsi per diem & noctem centies id vsu veniat, quæ sane mundities & delicatiores eas reddit, & viris suauiores, vt qui se quauis vice in gremium recens lotum infundant.* Mulieres laboribus aut raro aut nunquam exercentur. delectantur herbis & flosculis bene spirantibus, suffumigiis cerebro gratis, thure, inunctionibus per totum corpus, & per frontem, adhibitis sandalis & aliis lignis odoratis minutissime tritis, atque in aqua dilutis. totis diebus nihil fere aliud agunt, quam vt folia quædam masticent illis *Betelle* vocata, addito calce & fructu *arrequa*, de quibus suo loco inter fructus & aromata agemus. *Arrequa* hæc interdum tantæ virtutis est, vt masticantes propemodum inebriet & cespitare faciat, licet aspectu & sapore ligno radiciue non sit absimilis: tres hasce species totos dies ruminant, non secus atque boues pasti, succum deglutiunt, reliquum ex ore reiiciunt, hinc oris labia ipsis tam rubea tamque nigra redduntur, vt rei ignaris nauseam creent. Lotiones eiusmodi, lauacra, suffumigia,

NOTA. Sacrificium venereum.

inunctiones cum Sandalis, habent ab Indis ethnicis, quibus ea ab antiquo in hunc vsque diem in vsu sunt, affirmant dentes ita roborari, ori mederi, animasque olentes curari. Ea manducandi consuetudo adeo in naturam abiit, vt necessario ea folia secum habeant vbicunque agant. Ancillæ per plateas masticantes cursitant, nec enim viuere se posse putant absque ruminatione ista. Fœminæ totos dies in fenestris sedent post prætensas telas, viris videlicet forâs progressis, vbi nil nisi *Betelle* suum mandunt, prætereuntes obseruantes, ipsæ vero à prætereuntibus nullo modo videri possunt.

Remedium pro dentibus & anima olente.

Si quis præterit cuius amore inflammantur, aut à quo videri velint, in signũ bonæ voluntatis velum remouent, quod sane prætereunti bonum omen futuræ amicitiæ fuerit: sunt enim hæc rudimenta VENERIS amicæ, quam sibi deinceps opera ancillarum magis magisque conciliant, & qua in arte mirę sunt artifices, vt quæ aliud nihil meditentur, nihil aliud somnient, nihil aliud agant. atque vt fortiores sint in VENEREM, magisque inflammentur, vtuntur præcipue *Betelle* dicto *Arecca*, & calce, quin noctu ad lectulos id in promptu pro confortatiuo habent. Præter dicta deuorant totos manipulos Caryophyllorum, piperis, zinziberis, & quoddam pistum aroma, quod *Cachunde* vocant, compositum ex variis aromatibus calidis, nostri vocant Pfaffenfuder / videlicet in puluerem grossum redactum: vtũtur & aliis, in eum duntaxat finem vt plus luxurient, plusque pruriant.

Confortantia venerem.

ANNOTATIO DOCT. PALVDANI.

Cachunde illud, quantum ego coniicio, componitur ex Galla moscata & liquiritia. sunt enim pastilli nigri, signati characteribus quibusdam impressis, in principio gustu amaræ valde, in fine suaues & dulces, corroborant cor & ventriculum, animamque beneolentem faciunt.

Neque eo contentæ mulierculæ vt pro se talibus remediis vtantur, quin viris ipsis insciis tamen mille alia propinãt, quo fortiores in nocturna prælia, atque minus in VENEREM segnes sint, mulieribusque plus sufficiant. Delectãtur balneis aquæ dulcis, innatantque cisternis recreationis gratia, pariter enim omnes promptissime natare possunt. raro inuenias mulierem, quæ flumen dimidij milliaris latitudine tranando superare non valeat. atque hisce finis esto de mulierũ moribus. quæ singula in Iconibus sub finem additis luculenter ob oculos sunt posita; vtpote quo habitu maritæ & filiæ nubiles foras egrediantur, quo viduæ induantur vestitu, quomodo masticent *Betelle*; quomodo in lecticis deportentur, stipatæ ancillis. item quomodo nocturno tempore comitatæ maritis & seruis deuotionis ergo templa adeãt, quod ipsis pro peregrinationibus deuotionis gratia susceptis in vsu est, tunc enim per pedes ambulant, sperantes plus indulgentiarum ex eo merito: at nec per diem obambulare conceditur illis siquidem suspectæ fierent.

Mulieres natant.

Votiuæ nocturnæ peregrinationes.

Nocturnas hasce peregrinationes summæ libertati & recreationi ducunt, speque illas iam ante pręcipiunt vigiles ea vespera, haud secus ac nostri pueri. cum nundinas aut templorum dedicationes inuisuri exultant. Similiter & ancillas adpictas videbis, quas præ cæteris diligunt, nec alias domum egredi patiuntur,

tiuntur,nisi in hisce nocturnis processionibus, aut cum in summis festiuitatibus heras pone *palankynas* ad templum comitantur, quos dies festos amatoribus solicite denunciant, qui non seruas solum, sed & ipsas heras sæpius è templis abducunt,seu in via intercipiunt,proripientes se in lupanar aliquod, qualia ad placitum in copia habent passim. Vt primum amatori signum datum, vno curriculo aduolat,reque expedita in momento,euanescit. Quod si ancillæ Lusitanum aut virum aliquem album amatorem habeant, in tantum efferuntur,vt omnes alios præ se contemnant, glorianturque de eo apud æquales,defraudantes heros suos quibus possunt modis,vt amatoribus satisfaciant, qui sane reditus Soldatis quibusdam multo commodiores sunt, atque ipsa stipendia regia. Si ancillæ ex hoc concubitu grauidæ liberos gignant, ij heris proprij cedunt,admodum bene ob id contentis, manent enim mancipia donec vixerint.

Astutia amantium.

Sin vero pater pueri Lusitanus aut persona libera foret, eum octiduo post natum infantem, puerum coram agnoscere oportet suum, quod si fecerit & exiguam quandam pecuniolæ summam legibus definitam hero ancillæ soluerit, puer libertatem à patre cõgenitam retinet: secus de matre, quæ in seruitute manet. vbi octauus aut decimus dies, legibus definitus transierit, nec cõparet, qui puerũ suum agnoscat, puer in heri, cui ancilla seruit, potestate manet, quin herus ex suo arbitratu puerum deinde æstimat, nec à quoquam cogitur ad vendendum.

Liberi seruarũ ex Lusitanis.

Si non inauditum, at saltem perrarum est parricidium, quo matres infantes recens natos extinguunt, licet eę pauperrimæ vel liberæ vel seruæ fuerint, plurisque faciunt infantem, præsertim si ex viro albo susceptus fuerit, quam thesauros totius mundi, nec patri puerum cedunt, si vel maximum aliquid soluat, excepto si furtim abripiatur.

Seruæ amant prolem.

Educatio liberorum Lusitanorum, Mesticorum, cæterorumque Christianorum hæc est: posteaquam nudi in hunc mundum nati fuerint, paulo post perbreui indusiolo aliquo ex humeris vestiuntur, qualiter mulieres *Baiu* suum gestant, cæteroquin nudi sunt, donec succreuerint, vt femorale & succinctorium sumant. Liberorum alij à matribus seruis, alij à nutricibus Indianis nutriti educantur.

Educatio liberorum.

CAPVT XXXIV.

ARGVMENTVM.

De Vicerege Indiæ, deque regimine eiusdem.

QVouis triennio mutantur Vicereges in India, succeditq; alius alij. accidit nonnunquam, vt aliqui diutius in ea dignitate perseuerent, si videlicet ita Lusitaniæ regi visum fuerit, sed raro admodum. Vicerex Goæ residet, in metropoli, vbi summum est iudicium per totam eam oram, & vbi classis quotannis ad expeditionem armatur: ibi tribunal, ibi consiliarij, ibi iudices & cancellaria, haud aliter quam in Lusitania dispositi. Vicerex nomine regis Lusitaniæ iudicia plenaria potestate exercet: si tamen causæ montosę fuerint & actio quædam ciuilis decernenda sit, ea per modum appellationis in Lusitaniam remitti potest, in criminalibus nulli cõceditur appellatio, nisi titulo Nobilitatis gaudeat, in personas enim

Appellatio.

nas enim Nobiles Vicerex nullam sententiam definitiuam pronunciare audet, absque speciali regis mandato, captos tamen in Lusitaniam eos mittere potest. Vicerex magnifice viuit, autoritatemque suam splendide defendit, raro in publico conspicitur, nec nisi die Dominica, atque festis solennibus, quādo tibicines & tympanistas secum habet, qui in tabulatis palatij & ad eius ostia concinunt. Si per viam publicam equitat, nō aulicos tantum nobiles omnes, sed vrbis etiam ciues in comitatu habet equitantes, stipant eum satellites circumquaque pedibus incedentes. In Templo sellam habet in summo choro, instratam holoserico clauisque aureis bracteatam, sub pedibus tapetes sunt, & duo puluinaria ex serico villoso, præpositum est illi scabellum altius, seu pulpitum cum simili puluinari, cui brachiis innitatur. à latere Nobiles aulici assident, sed extra chorum. Sacellanum suum perpetuo assistentem & pro eo orantem habet. Ad sinistram Viceregis sedet Archiepiscopus in peculiari sella, si videlicet ambo simul in templo præsentes fuerint, astant ministri tanta cū reuerentia, ac si rex ipse coram foret, reuersus inde in palatium suum simili quo prius modo tympanorum, tubarumque concentu excipitur. in palatio astant satellites hastati. in loco vbi iudicia exerceri solent, sunt omnes Vicereges ordine ad parietes depicti, quotquot hactenus in India fuerunt, quibus adduntur successores singulis trienniis. in procesterio exteriori seu pergula, depictæ sunt omnes naues eæ, quæ iam inde ab initio à Lusitanis in Indiam missę sunt, addita sunt passim nomina & cognomina Capitaneorum.

Pompa Viceregis in templo.

Effigies Viceregum.

Annotatæ sunt præterea ibidem naues, quæ in nauigatione perierunt, aut ventorum turbine disiectæ sunt, quibus adduntur cæterę quę quotannis deinceps appellunt, memoriæ scilicet, posterorumque gratia. Vicerex hoc pro more habet, vt quisque vltimo anno triennij sui arces & castella passim visitet, quotquot secus litus ad 50. 60. aut 80. milliaria sunt, tam in boream quam in austrum à Goæ latere porrecta, quod fit vt inspiciat administrationem earum, & deinceps de iis rectius disponat, quæ tamen visitatio plærunque per substitutos conficitur. si eam Vicereges in propria persona exequuntur, potissima causa tum est, vt honorariis ditati inde reuertantur, non vt prouinciæ commodum quęrant.

Visitatio castrorum fit cum commodo.

Reditus Viceregis sunt amplissimi, omnia enim in ipsorum potestate sunt, liberumque est illis in omnibus dispensare, distribuere, dare & accipere quæ & quanta velint, in iis videlicet prouinciis, quæ regem Portugalliæ agnoscunt suum Dominum, & quarum numerus non est exiguus, siquidem rex omnia in ipsorum potestatem pleno iure tradidit. Hinc tantum sibi thesaurum in pecuniis & gemmis conquirunt, vt dictu vix sit credibile. præter reditus annuos, certum habent salarium, donaria & munera ex omnibus passim locis pene infinita. Fit enim more gentis, vt quotiescunque nouus Vicerex succedit, vicini reges confœderati Legatos suos cum muneribus preciosissimis in gratulationem & fœderis confirmationem ad eum mittant.

Iesuitæ impetrauerant à Lusitaniæ rege, vt munera ea, quæ Viceregi singulis vicibus offerebant, sibi suoque ordini cederent, magna in id cura attenti, ne quid eorum intercideret, quod in ipsorum commodum non verteretur, obtinueruntque ea, donec *Don Luis de Tayde*, siue *Ludouicus de Tayde Comes de Atungia*, qui haud ita pridem vita functus est, Viceregem in India ageret; is negocium retractans, nullo modo ea Iesuitis porro concessit, prætendens regem Lusitaniæ minus dextre informatū fuisse super ea re, munera enim ea ipsi Viceregi non Regiæ maiestati in Portugallia offerri, vnde nec regis fuisse, ea Iesuitis dono tradere, seque porro nullo modo in eo consentire.

Iesuitæ donaria Viceregis intercipiunt.

Hoc responso Iesuitæ male contenti, Viceregem pro hæretico calumniantur,

antur, atque ab eo tempore Vicerex & eius posteri sibi ea reseruant.

Terminus elapsus regiminis Viceregis tum adest, quando alius in *Bardes*, aut alium portum appellit. Vt primum nouus in portu adest, mittit Procuratorem suum cum plenaria potestate, qui nomine heri sui possessionem in Indiæ regimine accipiat: quo facto Palatium adeo vacuum redditur, vt nec scabellum aut sella in eo remaneat, neque obolus vnicus in thesauro supersit, vnde non iam palatij regij, sed ædium desertarum spoliatarumque formam refert: successor sibi de noua supellectile, deque alio thesauro corradendo prospicit. Vicerex decedens nauem in qua successor eius aduectus fuit, Lusitaniam repetit.

Vicerex à Iesuitis calumniam Hęretici incurrit.

Viceereges in successione mutuo sibi nihil commodi præstant.

Cum itaque regiminis duratio tam breui temporis spacio includatur, quæ non nisi in recompensam præstitorum seruitiorum cuiquam contingit, non vt meritum aliquod deinceps habeat, hinc fit vt nemo publicam prouinciarum salutem respiciat, neque regis commodum spectet, sed suum quisque commodum priuatum, quod rationis est, potius quæritet, vnde in prouerbiũ abiit, *nullam ex viceregibus esse meliorem frugem sperandam, quæ in commodum prouinciarum cedat, donec administratio non sit diuturnior triennali*: palam enim enunciant, quin ipsa experientia testis est, primi anni reditus vix inuestiendo Viceregi, item ad mores gentis perdiscendos aliosque sumptus faciendos sufficere: secundi anni reditus pro nouo thesauro reponendo esse ad priuatum commodum, cuius gratia Vicerex in Indiam præcipue venit promouendum. Reditus tertij anni conferri in apparatum defensionis, ne à successore improuiso adortus obruatur, atque vt bona conquisita paulatim ad discessum suum disponat, in Lusitaniam deportanda. Eadem ratio est reliquorum Capitaneorum in munitionibus, cæterorumq; officiatorũ per Indiam. Vnde cuiuis notum esse potest, officia regia, atque subditorum salutem non magni pendi, quo nomine non iniuste grauiterque conqueruntur subditi, & Lusitani vxorati atque reliqui per Indiam Christiani. Verum quid attinet multum de iis conqueri? abest rex ipse haud æquo interuallo, qui nec suorum gemitus exaudire potest, nec aliter edocetur, quam quod omnia optima fide fiant, tam quæ ipsius officia, quam quæ salutem subditorum concernant. quæ sane faciunt, vt ægre sperandum sit, statum Indiæ in melius mutatum iri.

Alternatio viceregum officit prouinciis.

Dispensatio trium annorũ viceregis.

Querela de vicerege & officiatis.

CAPVT XXXV.

ARGVMENTVM.

De Ethnicis Indis cæterisque peregrinis, in vrbe Goa habitantibus.

HAbitant tum in vrbe tum in Insula Goa Æthiopes pariter & Ethnici complures, superstitioni Mahumetanæ dediti, item Iudæi atque aliæ nationes exterę ex India, atq; vicinia distinctæ tum moribus, tum religionibus. Nigrittę Alcoranum sequuntur, Iudæi Moysen. Habitant simul multi Persæ, Arabes, Abyssini, Christiani, Nigrittæ, Goam vrbem incolunt Armenij complures Christi fidem amplexantes, eandemque frequentant nationes quotidie variæ mercibus hinc inde distrahendis distẽti; præsertim *Persæ, Arabes, Benianes ex Cãbaia, Gussarates, Decanyns* &c.

Goa & nationibus & religionibus libera est.

Nigrittæ cibis quibuſcunque (præter carnē ſuillā,) veſcuntur, mortui iiſdem ritibus in ſepultura, quibus Iudæi vtuntur, Ethnici vero quales ſunt *Decanyns*, *Guſſarates* & *Canaras*, reliquique Indi mortui in cinerem rediguntur, defodientes cinerem ſimul aliquot ex vxoribus & ſeruis defunctorum nobilium ſeu Brachmanorum, viuos defodiunt. quod idem ditiorum quorundam mercatorum vxores imitantur. Sunt qui cibis omnis generis veſcantur excepta carne bubula & vaccina, eam ſacroſanctam habent. Sunt alij qui ab omnibus abſtinent, quæcunque vita & ſanguine fuerunt prædita, tales ſunt *Guſſarates*, *Benianeſque ex Cambaia*, viuentes legibus Pythagoræ.

Funera in cinerem rediguntur.

Vaccæ & boues ſacroſanctæ.

Maxima pars Solem & Lunam adorant, credunt tamen pariter omnes in vnum DEVM creatorem & moderatorem vniuerſi, credūt & poſt hanc vitam, æternam, in qua vnus quiſque prout bona vel mala operatus eſt, mercedem accepturus ſit. Colunt nihilominus idola *Pagodes* forma tam deteſtabili, vt fœdior nulla per ſomnum apparere poſſit, ſacrificantes illis quotidie, perhibent enim fuiſſe homines ſanctos in vita, dum inter ipſos viuerent, commemorant varia ſimul prodigia, dictu & auditu mirabilia. quin habent ea pro aduocatis ſuis & mediatoribus inter DEVM & homines. Et non raro eadem conſulunt, tanquam oracula, quando reſponſa expreſſa ab iis accipiunt, dæmone id agente: nouerunt enim Dæmonia & ipſi familiariter, venerantur que eadem quotidie quibus poſſunt ſacrificiis, in eum finem vt ipſis amicis vtantur, neue ipſa damnum dent.

Pagodes Idolum.

Moris eſt apud eoſdem, ſi filias ſponſas habuerint, atque in honorem Sponſi *Pagodem* aliquo ſingulari cultu placare demererique voluerint, *vt ſponſam magna cum pompa & cum inſtrumentis muſicalibus omnis generis perſonantibus ritu ipſis vſitato ad idolum Pagodem cui penis eſt ex ebore, deducant; tum qui proximi ſunt ſponſam imponunt eburneo illi priapo, vtque hymen illi perrumpunt adeo, vt Pagodes idolum conſperſum inde ſanguine virginitatem illæſam hactenus teſtetur, & perfectis quibuſdam aliis ceremoniis ſponſam domum reducunt, tradentes eam ſponſo, exultanti ob id & maximo ſibi honori ducenti, quod eo beneficio à Pagode ſit affectus, vnde porro ipſe laborioſo hoc onere & graui moleſtia ſubleuatus ſit.*

Sponſæ per Pagodem deflorātur, in ſponſi honorem.

Eſt & hic mos ab ipſis receptus, vt quod mane domum egreſſi primum obuium habuerint, adorent, toto eo die venerentur, ſit ſane qualecunque demū ſit, vel porcus &c. Si accidat vt mane domum egreſſi corniculam primum conſpiciant, ſane ea tota die domi ſe continebunt, nec in publicum prodibūt, ſi vel rem precioſiſſimam ferrent acceptam. volant autē corniculæ gregatim per Indiam, quarum volatum ipſi inauſpicatum putant, & ob id diem quoq; infauſtum. Nouam Lunam adorāt, quam ſi recens conſpexerint procidunt in terram, deueneranturque eam ſumma cum deuotione & reuerentia. Sunt apud ipſos religioſi *Iagos* dicti, Carthuſianis atque Eremitis noſtris non abſimiles, eos ob ſanctitatem plurimum colunt, viuunt enim illi vitam auſteram, aſtricti regulis ſui ordinis ieiunant, abſtinent, vulgoque perſuadent ad libitum, neſcio quæ ſomnia fingentes, quæue deliria ſomniantes.

Mane viſum per diem adoratur, ſi vel porcus ſit.

Iagos religioſi.

Habent artis magicæ peritos, qui præſtigiis ſuis homines faſcinant, illi paſſim totam Indiam peruagantur, adducentes ſecum ſerpentes viuos omnis generis, quos imprecationibus ita faſcinant, vt ſe in paruis capſulis quieti contineant quod ſi ſpectaculum aliquod edere volunt, depromptos ſerpentes atq; in medio ſaltantes ſalienteſque apponunt, poſſunt illi ſerpentes ad harmonicos numeros quoſcunque editos ſe ſaltando componere, præſtigiatoribus hortantibus eoſque nunc per collum, nunc per brachia nudoſque pedes mittentes, quin oſcula illis figunt, & neſcio quas alias ineptias exercent, dummodo homines argento emungant. Venena ſciunt artificioſe miſcere, alterque alterum

Magi & geſticulatores.

Venefici.

alterum leuissima de causa iis tollit. Casas humiles stramine tectas incolunt, foribus angustis, fenestris nullis, ita vt in genibus subnixos adrepere necesse sit ingredientibus. Supellex est stragulum stramineum in pauimentum extensum, super quod cubant loco lectuli seu puluinaris. Mensæ, mensalia, mantilia, strophiolaque ex foliis ficuum Indicarum constant, neque folia ea dictæ solum supellectili inseruiunt, sed & lancibus seu patinis parandis, in quibus edulia apponi solent, apta sunt, quin & eorum vsus est in tabernis pharmacopolarum & mercatorum pro thecis piperi & scombris aliisque aromatibus & mercibus inuoluendis. sciunt ea tam solide compingere, vt butyro, oleo, cæterisque liquidis infundendis valeant.

Folia ficus Indicæ in variam supellectilem.

Vtuntur fictilibus, in quibus cibos præparant, aut orizam decoquunt: in area ædium fouea est, in qua orizam pistillo ligneo contundunt: siquidem orizam in siliquis sibi comparant, vti in campis prouenit, ex mera simplicitate. Sunt qui post ædes suas orizam serant, in tanta copia, vt rei familiari sufficiat. Bibentes habent lagenam ex cupro cum rostrato canali ex quo aqua desuper in os defluat vase illibato. Ædes vt plurimum fimo bubulo inungunt, id enim pulices necare dictitant. per cutem mundissimi sunt, siquidem quotidie toto corpore lauantur, quin quoties naturæ opus reddunt ex aluo aut vesica, abluuntur protinus, tam viri quam fœminæ, si lauantur humi incubãt ritu Nigritarum atque Turcorum. Læua se abluunt, dextram illibatam seruantes, vt qui ea in cibo sumendo vtantur, cochlearia enim illis in vsu non sunt, secus scilicet quam Iudæi Verpi. Legem suam obseruant rigidissime, domum enim nunquam egrediuntur, nisi prius fusis de more precibus. Rure ambulantes passim in speluncis, montibus & scopulis obuia habent idola sua Pagodes forma detestabili ex lapide inciso posita, additæ sunt fornaces & receptacula aquæ, in quibus prætereuntes pedes abluunt, quo facto, ad idolum accedentes supplices illi fiunt, nec desunt qui illi fructus, orizam, gallinas, oua &c. deuotionis ergo offerant. prout magis deuoti fuerint: oblata deinde Brachmanes clam cum familia deuorant, persuadentes plebeculę stupidæ, *Pagodes* ea famelicos deglutiuisse.

Fimus vaccinus pulices necat.

Superstitio Ethnica.

Sacrifici sacrificia deuorant.

Si quã per mare nauigationẽ instituũt, quindenâ integrâ ante tubas & tympana tanto fremitu per publicum insonant, vt alter alterum exaudire non queat, duratque hic furor dies pariter noctesque. nauis cursui parata circumquaque vexillis inditis volat, quo se *Pagoden* suum demereri atque iter auspicatum ab eo expetere aiunt, similiter fit cum nauis reuersa fuerit per quindenam integram, idque in gratiarum actionem. Pari solennitate vtuntur in aliis festiuitatibus, vtpote cum nuptias, puerperia, siue alia anniuersaria, puta sementem & messem celebrant.

Indi Pythagorici, qui vrbem Goam incolunt prædiuites & spectabiles sunt negociatores, negociationes amplissimas exercentes. Habent Indi mercatores peculiarem vicum in Goa, vbi tabernis apertis commercia sua exercent, in eo præter Indos nemini negociari conceditur, exponitur ibi sericum, Satynum, Damascenum, pocula porcellina ex China, & eiusmodi alia ex Lusitania aduecta, siquidem per propolas seu maculatores suos merces quascunque inde allatas studiose conquirunt ex asse, quas vnciatim distrahunt, in id velut à natura facti, vt negociari ipsis sit congenitum. In eodem vico alij quoque telã linteam vendunt, item indusia vestesque confectas ad placitum ementiũ tam slauorum, quam liberorum: sunt ibidem dulciaria & quæcunque gulæ inseruiunt abunde.

Tabernę Indorum instructissimæ.

Est alius vicus habitatus & ipse ab Ethnicis vendẽtibus succinctoria muliebria & eiusdem generis alia, item innumera pannorum genera, *Cotonias* vocãt,

non multum differentia à *Canifas*, carbafis & faccis conficiendis commoda. Eft item vicus, vbi *Benianes* ex *Cambaia* fuæ terræ merces exponunt, item gemmas, fiquidem omnium optimas margaritas habent, gemmafque dexterrime poliunt. Sunt alij vici folis ethnicis habitati opera lignea vendentibus, vtpote fpondas, fellas &c. cera Indica pulchre perfufas, ceram enim eam omnis generis coloribus tingere norunt. Auri argentique fabri peculiarem & ipfi habent vicum, ij meri funt Ethnici præparantes opera & pulchritudine & diuerfitate fpectatiffima. Reliqui opifices vtpote fabri lignarij, fabri æris rubri feu cupri &c. quifque fuos vicos habitat, funtque Ethnici omnes.

Aurifabri.

Affatim negociantes.

Adfunt ibidem negociantes ex affe, in frumento, oriza, reliquifque mercibus Indicis, lignis item preciofis &c. Sunt qui regis prouincias & reditus pro certa fumma annuatim pendenda conducant. adeo vt nihil fit vnde quæftus fperetur, cuius ipfi non habeant fummam peritiam.

Maculatores.

Propolarum fiue Maculatorum, qui cōducti ab aliis mediatores funt inter ementes & vendentes, numerus infinitus adeft, funt ad vnum omnes ethnici foro vti apprime edocti.

Præter tabernas dictas ethnicorū, funt illis & aliæ in quibus aromata & condita vendūt vnciatim, quales apud nos funt herbularij & pharmacopolæ, proftant in illis quæ homini in mentem venire poffint de eo genere minus tamen felecta, quod negligentius ea curent. Iftiufmodi mercatores plærique funt Brachmanes, id eft, idolorum facerdotes, tabernas paffim per totam vrbem angulares habent, incifas in domorum muros, prætereuntibus oportuniffimas.

Tonfores & chirurgi ethnici.

Adfunt ibi chirurgi & barbitonfores frequentes paffim in publicis plateis obuij, minifteria fua offerentes, ij tabernas vel officinas non habent, requifiti in ædes ciuium veniunt, vbi vili mercede, capillos, manuum item & pedum vngues præcidunt, purgantque aures & dentes, & fricant crura corpusque ftudiofiffime, offerentes obfequia fua tanta cum inftantia, vt ægre repelli poffint. In fumma, pro exigua pecuniola præftant quæcunque voles, quin à Lufitanis verbera non raro infuper reportare coguntur, taciti & patientiffimi.

Medici Indi.

Sunt in Goa Medici complures Ethnici, qui plærunque autoritatis gratia fe pileis fuis cōtra folis æftum defendunt per publicum incedentes more Lufitanorum, quod cęteris ethnicis non in vfu eft, præterquam cum Legatione funguntur. Medici dicti ethnici non reliquos tantum ethnicos curant, fed & Lufitanos, quin viceregem & ipfum Archiepifcopum. Monachi reliquique pontificij plus in hifce fidunt, quam in fuis Lufitanis, vnde lucrū ampliffimum faciunt, & in maxima autoritate funt.

Baptizati Chriftiani viuentes more ethnico.

Ruftici quique in infula Goa extra vrbem, & reliquis locis vicinis degunt, vt plurimum funt ethnici baptizati, fiue noui Chriftiani, nec tamen multum à reliquis ethnicis differunt, fiquidem à fuperftitionibus fuis ægre reuelluntur, indulgetur ipfis in eo partim propter vicinos, vt & ifti alliciātur, partim quod ægre aliter perfuadendi funt.

Menfulariorū vfus.

In omnibus fere vicorum angulis menfularij fedent, quos *Xanaffos* vocant, & ipfi Indi baptizati, quibus vix expeditiores in rationibus & cognofcendis monetis reperias, nec illis abfentibus vlla pecuniæ fumma alteri numerari poteft, fiquidem multa adulterina mifcetur, quam minus exercitato impoffibile eft à proba difcernere, ita vt non in aliqua fallaris, ob id neceffe eft adhibere *Xaraffos*, qui vel oculis femiclaufis eam deprehendunt.

Singulę tribus, fingulæ familiæ.

Lege cautum eft apud Indos gentiles, ne quis eam artem mechanicā quam didicit, vitæ genus immutando, deferat, & aliam tractet, fed neceffe habent, vt quifque eam exerceat, quam à parentibus hæreditario accepit: matrimonia item non nifi inter eiufdem tribus homines contrahuntur, vnde velut peculiares

liares familias & generationes deducunt, eius autem legis tam ſtricta eſt obſeruatio, vt tribus inter ſe expreſſe differant, velutque diuerſæ nationes diſcrepent, quin mutuo requiſiti ita ſe interrogant, dic age cuius es generationis? esne ex familia aurifabrorum, barbitonſorum, chirurgorum, negociantum, mercatorum, piſcatorum &c? Filiæ dotem nullam accipiunt pręter gemmas quaſdam & ſumptus in Nuptias faciendos. Filij hęredes ſunt ex aſſe. atq; hæc ſufficiant de Indis gentilibus Goam & vicinas illi partes habitantibus.

CAPVT XXXVI.

ARGVMENTVM.

De Anni ratione, & quatuor temporibus Cardinalibus, item de morbis & affectionibus corporum in India.

HÆc eſt anni ratio in India: incipit hyems ſub finē Aprilis, in ea parte, videlicet qua littus Indiæ in Cābaia porrigitur vſq; ad *Capo de Comeryn*: cum ingruit ſpirant fauonij ex mari verſus littus flantes, initiū eius ſunt tonitrua, fulgura, quæ pluuiæ continuæ inſequuntur durantes indeſinenter vſq; in Septembrem, atque ex eo denominata ex hyems, quod videlicet pluuiæ ſint perpetuæ, nec per id tempus mare ſit nauigationibus amicū: interim ratione caloris & ſementis ipſa æſtas eſt. ſiquidem ea anni pars quæ æſtas propter ſiccitatem & cœli ſerenitatē dicitur, multo ſalubrior & frigidior eſt, tum enim plærunq; ſpirant ſubſolanus vulturnuſq; ſiue Eurus, & noctes ſunt ſatis gelidæ, neque tum ſementis magnopere fit, præter ea legumina quæ toto anno ſeri ſolent. ingruente hyeme quiſque penu inſtruit neceſſariis, & reliqua pro hyeme comparat, non ſecus ac in nauibus fieri ſolet, ſi qua nauigatio in menſes quinque vel ſeptem inſtituitur.

Hyems.

Pluuiæ faciunt hyemem.

Tum quoque naues ex alto mari in alueum ad vrbem deſcendunt, colligūtur carbaſa, deponuntur mali funibus veliſq; ademptis, ne putreſcant ex pluuiarum continuatione, quæ tanta eſt per totam hyemem, vt non raro ædificia ex ea reſoluta corruant. Quam primum incipit hyems deuoluuntur ad oſtia aluei ingentes arenæ cumuli, obſtruentes ea, ne vllibi pateant vel nauibus vel ſcaphis, vnde tantus maris fremitus exiſtit ad totum littoris eius tractū, vt mutuo ibi colloquentes ſe non exaudiant. Ipſe pręterea alueus inſulam circūquaque ambiens ob torrentes de montibus deſcēdentes ex imbribus dulceſcit rubeſcitq; plane. in æſtate omnia contrario ſe modo habent, vt qua pura ſit aqua marina ſalſa, non ſecus ac in ipſo mari. Finita hyeme in ſeptembri diffluunt arenæ cumuli adeo vt non nauigiis ſolum & ſcaphis, ſed & nauibus onerariis Luſitanorum, vehentibus ſepties octieſue centena ſępe millia doliorum, totus pateſcat aditus, nec bolidis iactu opus ſit, mare enim profundum ſatis nec vlla ex parte periculoſum eſt. Per hyemem ſane omnia ſunt triſtiſſima, nec enim alia exercitia habent, præterquam quod domi in induſiis & femoralibus linteis ſedeant, raro vicinorum familiaritate vtentes, quod ſi fiat terunt tempus ludicris & aliis ineptiis, nec enim tum per vrbem negociationes exercentur.

Arena alueum per hyemem obſtruit.

Aqua hyeme dulcis, æſtate ſalſa.

Domi per hyemem ſedent propter ęſtum.

Luſitanorum Meſticorumq; vxores maxime per hyemem delectantur in pluuia

Recreatio mulierum in villis.

pluuia cum maritis & ancillis ad villas expaciari assumpto cibo & potu, quo genio indulgere valeant. Habent in villis passim cisternas siue piscinas lapide pulchre formato incisas. vbi ergo mulieres in villis aderint, certatim eas innatant, ludumque in vndis more piscium; atque hoc ipso tempore fructus plures & meliores haberi possunt, quam alias, qua de re supra meminimus.

Æstas. Incipit æstas in Septembri, duratque ad finem vsque Aprilis, per eam cœlum est serenum totum sine omni nubecula, aut saltem rarissima, tūarmantur naues, mittuntur in diuersas oras, armatur & regia classis in protectionem oræ maritimæ, & saluum deductum negociantium nauibus præstandum, tum redeunt venti orientales, ex continente in mare flantes. vnde *terrenos* dicuntur. Sunt autem suaues & refrigerantes admodum, in principio tamen propter aëris mutationem minus salubres, & causæ sæpe grauissimorum morborum, simul cum aeris mutatione illic incidentium.

Naues in mare descendunt.

Spirant ij venti per ęstatem continenter, incipientes circa mediam noctem flanteſq; vſq; ad meridiem, nunquam tamen vltra decem milliaria in mare feruntur. tempore deinde pomeridiano, ad mediam vsq; noctem spirant venti occidentales, ex mari in continentem flantes, eos dicunt *Virason*. obseruant hi venti tempus ordinarium tam præcise, ac si eos in manibus inclusos habeas, & inde aër temperatissimus fit, absque quo solis æstus foret plane intolerabilis.

Æstas & hyems eodem tempore.

Quis vero non miretur, quod cum hyems fuerit ad littus porrectum à *Dio* ad *caput Comerinum*, tum ad oppositū latus à *Capite Comerino* ad littus *Choromandel* vsque æstas sit; nec obstat quod vtrunque latus sub eadem poli eleuatione positum sit: neque distantia inter vtrunque littus dimensione per terram facta, excedat milliaria septuaginta, quin in quibusdam locis saltem 20. sit milliarium.

Æstas & hyems in iisdem montibus miraculose.

Est autem magis mirandum, quod si pedestri interdum itinere à *Cochino* ad *S. Thomam* ad littus *Choromandel* videlicet vsque suscepto ad montes *Ballagate* deueniatur ab vna mōtis parte ab imo ad summum vsque cœlum sudum & sol formosissimus splendebit, ab altera vero à montis vertice ad radices vsque erunt meræ tempestates, pluuiæ, venti, tonitrua, fulgura tanto cum fragore vt mundum ruiturum credas, atque hæc cœli mutatio dependet ab anni partib. vnde perpetuo & æstas & hyems eodem anni tempore, eodemque in monte, sed in diuersis eius partibus per vices comparebit. Eadem mutatio est in tractu *Armusii*, atque ad littus Arabiæ *Rosalgette*, vbi statio nauium est, siquidem ad latus vbi cuspis seu caput in mare procurrit, aqua placidissima, atq; cœlum formosissimum est. at si pręteruectus eam cuspidem ad oppositū latus appuleris, habebis pluuias ventosque procellosos & tempestates sæuissimas, quæ & ipsa mutatio ab anni temporibus dependet, alternatim à latere ad latus diuertens, estque similis cœli mutatio etiam in quibusdā aliis Indiæ locis. Morbi & ægritudines corporum per Indiam populares plærunque incidunt in mutationes temporum, causantur ex aëris temperie vt dictum est. Grassatur vulgo morbus in India, cui nomen *Morderyn* fecerunt, corripit enim homines improuiso, lectoque affligit, inter initia morbi adest nausea, cruditas stomachi, vnde vomitus vehemens, quin sæpe tam vrgens, vt animam simul euomant. Morbus hic familiarissimus in India multos necat aut saltem lethaliter corripit, qui ex eo euadunt, habent quod Deo acceptum ferant.

Morderin morbus mirus.

Dysenteria & alij morbi cum euratione.

Dysenteria illis & frequentissima & periculosissima est, non secus ac apud nos Pestis cōtagium. regnant ibi febres ardentes continuæ tam acutæ vt intra quatriduū homines extinguant, quæ aliud remedium præter venæ sectionem non habent, ab initio adhibēdam: quę cura Lusitanis ꝓpria est. Indi vero gentiles

tiles vtuntur herbis, ligno ſandalorum & vnguentis curatione feliciter cedẽte. pereunt quotannis ex dictis affectibus quamplures Luſitani, partim quod diæta vtantur viliſſima ob ciborum malitiam, & potus tenuitatem, vnde vires reſtaurare nequeunt, partim quod deſidioſi ſint & luxuriei dedititiſſimi, cui incommodo accedit occaſio & gentis natura atque conſuetudo eos pelliciens. accedit & quod maxima Soldatorum pars talibus mediis vitam ſuſtentare cogatur, quibus ſane non raro & famæ & vitæ iacturam faciunt, *quin imo ſi viri eſſent adamantini nunquam ſuffecerint in inſatiabilem mulierum explendam libidinoſam concupiſcentiam*: multis ſane exitioſam, vt apparet in Xenodochiis, in quibus verſantur ex liberalitate regia, vix annus abit, quin quadringẽti quingentiue ibi recipiantur ægroti, qui exanimes mox inde efferuntur, iique ſolum Luſitani, illis albi dicti, nec enim præter eos aliis in iis locus eſt, ſi qui ex Indis infirmantur, illis ſua quoque peculiaria ſunt Xenodochia. Luſitani in ſuis hoſpitiis Xenodochiorum lautiſſime excipiuntur, ægroti vero curantur omni cũ ſollicitudine & fide, quam curã tam Ieſuitę quam nobiles in ſe ſuſceptã totos dies in propria perſona obeunt, præbent decumbenti quæcunque neceſſaria, & ſæpe 400. aut 500. ducatorum impenſam propriis ſumptibus in ægrotos faciunt, non tam miſericordia quam arrogantia ducti, quiſque enim meritis præſtare cupit. vt eo plus gloriæ inde referat. Nulli dedecori eſt in publico Xenodochio decumbere, ſunt qui motu proprio in ea ſe dedant, tametſi domi abunde habent, vnde cum vxoribus & liberis ſuis viuere poſſint.

Luxuria pereunt viri.

Sane ea Xenodochia Luſitanis ſunt oportuniſſima, & vnicum ferme refugium, abſque illis fame & inedia ſæpe necarentur, atque in iis confiſi multo ſunt magis temerarij, ſiquidem correpti quocunque morbo, ſiue morbo gallico, ſiue arthritide, ſiue vulnerati fuerint, adeſt illis præſens & gratuita in Xenodochio curatio, quin ab ipſo Vicerege non raro viſitantur diligenter attendẽte, vt omnia dextre adminiſtrentur. Si quis aut vulnere aut affectu aliquo clandeſtino laborauerit, nec Xenodochia ingredi vult, illi liberum eſt vt quocunque die bis ad obliganda vulnera eo veniat, quo facto domum repetit, nec quicquam ob id chirurgo perſoluens, aut de ſalario ſuo cedens. Mortui cadauer deportatur in cœmeterium à duobus mancipiis, ſine næniis campanarumue pulſibus: ſubſequitur ſaltem vnus, qui aquam luſtralem ſepulchro inſpergat, at ſi defunctus bona reliquerit, & eorum partem ſacerdoti per teſtamentũ legauerit, in eum finem vt pompa ipſi funebris inſtitueretur celebrata miſſa exequiali, eius funus de more frequentatur, adhibitis pulſibus campanarum & næniis vſitatis.

Patientes in Xenodochiis bene habent.

Sed reuertentes ad patientes noſtros, præcipue qui VENEREA lue corripiuntur, ſciendum eum morbum longe frequentiſſimum eſſe, nec clam haberi à quoquam aut infamem, *ſiquidem eo corripi non minus humanum eſt, atque alio affectu teneri.* Curatio eius fit per radicem chinam. Sunt qui ter quaterue eo correpti fuerint nulla famæ exiſtimationiſue iactura, quin gloriæ ſibi ducunt, tam ſtrenuæ militiæ argumento conuinci. patientes illi de vita non admodum periclitantur, vnde ſi optio detur, malunt hac ipſa quam quauis alia ægritudine teneri.

Morbus gallicus honeſtus.

Peſtis contagium Indiam nunquam inuaſit, Indis plane incognita. Veneficia, incantationes & eiuſmodi maleficia, quæ cum multorum vitæ ſanitatiſq; exitio fiunt, ipſis quotidiana.

Peſtis Indiam non inuaſit.

Calculus renum & veſicæ, arena, herniæq; frequentiſſimæ ſunt, præſertim inter coniugatos propter aquæ potum quotidianum, adhæc quod delitiis luxuriæque ſint dedititiſſimi. viuunt enim in affluentia rerum omnium, totos dies ocioſi in pergulis ſolis induſiis ventre aperto aſſidentes, aſtat ſeruus qui

Calculus, hernia.

Delitiæ Luſitanorum.

ventum

ventum faciant, aſtat alius qui crura & pedum digitos fricet, alius item qui caput fricet, & item tertius qui flabello muſcas abigat. quod cum ad horam vnam atq; alteram dicto modo peregerint, ſomnus meridianus ſequitur. Quoties ſitim reſtinguere volunt, affertur ſitienti patella cum conſeruis aut confectionibus, ne aqua bibenti noceat, atque vt guſtu ſit gratior. Hiſce moribus dies totos ipſaſque noctes terunt, vnde plærique pingues ventricoſique turgēt, qualis Bacchus pingi ſolet, ex quo à Soldatis, reliquiſq; Indis, Barriogis ſiue aqualiculi, infami appellatione notantur.

Dierum ratio in India.

Dies tam hyemales quam æſtiuales per integrum anni circulum fermè æquales ſunt: paruo admodum inter ſe diſcrimine diſcrepant, nec vltra horæ vnius ſpaciū ſe excedunt, vel circiter. Sol hora ſexta oritur mane, & idem ſexta occidit veſperi. in ipſo meridie Sol verticalis eſt, nulla fere proiecta vmbra, modicum eſt quo à gnomone deflectat. in Goa vrbe apparet vterque mundi polus, vterq; enim & arcticus & antarcticus ſupra horizontem eleuatus non nihil conſpicitur. atq; hæc quidem de anni ratione deque eius quatuor temporibus ſufficiant, neque plura de morbis & corporum ægritudinibus addenda cenſeo.

CAPVT XXXVII.

ARGVMENTVM.

De Monetæ, Menſuræ & ponderum ratione per Indiam & in vrbe Goa.

PRincipalis moneta quæ apud Indos in vſu eſt, dicitur Pardauus, ſiue Xeraffins. ea ex argento eſt, ſed minera minus pura. cuditur Goæ, in vno latere S Sebaſtiani effigies, in altera iacula aliquot in faſcem colligata, valore Ioachimici, ſiue tres Teſtones, noſtris dick Pfenning / ſiue trecentas Riſas in moneta Luſitanica, in verſura minimo aliquo interdum creſcit decreſcitue pro occaſione. Fit etiam numeratio in moneta Tangas, quæ quidem inter numerandum præſens in ſpecie non adeſt, ſed per eius taxam tamen ſummæ computantur, hoc modo: quinq; Tãgas faciunt vnum Pardau, ſiue Xeraphins, in moneta caſſa: rationes enim bifariam inſtituuntur, vno modo in moneta proba, altera in moneta caſſa ſiue mala. quatuor enim Tangas in moneta proba, faciunt quinque Tangas in caſſa, inde fit vt in contractibus moneta in ſpecie ſit nominanda.

Eſt præterea alia numeratio Vintyns dicta, quæ nec ipſa in præſenti moneta fit. vſus eius eſt duntaxat inter numerandum. faciunt autem quatuor probę Vintyns & quinque caſſæ vnum Tangas. Viliſſima moneta illorum Baſſaruco dicitur, atque horum quindecim in proba moneta, faciunt octodecim in caſſa moneta. Vintyn vnum & Baſſarucos tres faciunt duas riſas in moneta Luſitanica: conſtat ea moneta ex puro ſtanno, quod in eam formam funditur. Trecenti ſeptuaginta quinque Baſſarucos faciunt Pardaum ſiue Xeraphyn.

Eſt & illis moneta Perſica, Laryns dicta forma oblonga, ex argento puro, abſque omni additamento, quarum ſingulæ valent 105. & 108. Baſſarucis, pro vt verſura variat. habent monetam auream Pagodes dictam, duorum triumque generum, plus paulo, quam octo Tangas valentem, cuſam ab ethnicis Indis, & ex vno latere effigiem Pagodes idoli habentem.

Eſt item moneta aurea Venetiana, partim à Venetis, partim à Turcis cuſa, valens

valens duos pardauos siue Xeraphyns.est & alia aurea S. Thomas dicta, quod S. Thomæ effigiem referat, valore septem vel octo Tangas.

Habent numos regales octonarios, ex Portugallia aduectos, pardauos de Reales dictos, præter quā alia moneta Lusitanica illis nō est in vsu: horum valor est 436. Risarum, tum videlicet cum primum aduehuntur ex Lusitania, valor deinde in versura crescit, quando ad Chinensem nauigationem conquiruntur nunquam decrescit.

Est peculiaris numerandi ratio in Goa, quādo emptio fit. Habent pardauos Xaraphyns qui in numerato sunt: inter numerandum vtuntur etiam Pardauis in auro nominetenus, quod in numerato ij non adsint. quando enim in cōtractum veniunt gemmæ, vniones, aurum, argentum equi, pardaui nominantur, quorum singuli sex Tangas faciāt, sin aliæ res merces ue in contractum veniunt, nec expresse fit monetę nominatio, subintelliguntur vulgares Pardaui Xeraphin, quorum singuli quinque Tangas faciant. nominant etiam Pardauos de Laryns, quorum singuli quinque Laryns faciant.

Atque hæc est ratio monetæ in Goa, per quam multi rē egregie faciūt, dum versuram exercent. Pardaui Xeraphyns valde adulterantur, vnde Xaraffes id est mensularij, passim obuij sunt, qui monetam recognoscunt, tam periti vt vno intuitu fallaciam deprehendant, si non nisi vnica inter mille minus proba fuerit, nos vero si adulterinam eam & manibus teramus & millies versemus, nunquam à proba discernemus. deprehenditur tamen fallacia ex tinnitu: adulteratur vero ea moneta ab ethnicis Indis, qui in continente sunt, vt imponant Lusitanis, vnde nemo pecuniæ vel minimū acceperit, nisi prius per Xaraffes recognita fuerit. numerant monetam auream agilime, simulque inter numerandum tam probe examināt, vt audeant profiteri deposito pignore, si vel error vel defectus in numerata ab ipsis summa reliquus sit, quod illum præstare velint, est vero defectus errorue rarissimus. Cæterum officiosi sunt & studiosissimi tum pecuniæ versandæ tum rebus aliis præstandis, operientes in angulis vicorum, habentesque tabulam propositam, in qua summæ pecuniæ numeratæ disponuntur, quarum singulæ Tanges vnum faciunt 75. Bassarucorū; qui pardauum vnum permutabit cum alia pecunia, accipit pro lucro Bassarucos duos tresue, sæpius octo vel decem. Sunt illorū plurimi qui ex arte hac vsuraria tantum faciant lucrum, vt commode inde vitā sustentare possint, tractātes non dictas solum monetas, sed quascunque alias peregrinas.

Pondera quorum in Goa vsus est, in plærisque respondent Lusitanicis, quātum ad quintalia, arrobas, & libras. est autem peculiare etiam illis pondus Mao, id est Manus pendens libras duodecim. eius vsus est in appendendo butyro, melle, saccharo, & reliquis mercibus ponderandis. tum aliud ponderis genus Bahr dictum piperi & aromatibus inseruit, facit idem quod quintalia tria cum dimidio, in pondere Lusitanico.

Mensuram habent, quam medidan vocant, quod idem sonat quod iustum, spithamæ altitudinem habet & digiti latitudine. 24. tales mēsuræ faciunt Manum. Viginti manus faciunt Candil vnum, Candil vero vnum facit 14. Medimnos vel circiter. Per eam mensuram mensurātur Oriza, siligo & reliqua legumina, atq; merces nauibus auehendæ. Vtuntur enim tali loquēdi forma. Na uis est siue linter capiens tot Candylos, vel tot Barrhos. Habēt orizam quā per Farden vendunt, ea in forma massæ orbicularis venditur, funibus & stramine ita colligata, quælibet Fardo capit tres manus & dimidiam. Oriza ita vendita bonitate superat reliquam non conuasatam, dicitur Oriza Girasal. Oriza vilior dicitur Chambasal. Oriza nondum excorticata viliore constat precio, ea est in quotidianum cibum rusticorum Canaryns, & pauperum reliquo-

N rum, à

rum, à quibus cõtusa comeditur. supplet eadem hordeũ in pascendis columbis & gallinis.

Sunt in continente Indiæ aliæ quoque monetę in vsu, inter ethnicos solũ & suis locis communes. in Bengala loco Bassaruco valet moneta parua Amandalen, in aliis alia. cæterum monetę, pondera, mensuræ, quarum nunc facta est mentio præ cæteris magis vsitatæ sunt, fit iisdem contractus ferme omnis, præsertim in Goa tanquam Metropoli totius Indiæ.

CAPVT XXXVIII.

ARGVMENTVM.

De Brachmannis in India, qui partim Sacerdotes sunt idoli Pagodes, partim præfecti, de moribus & vita eorundem.

BRachmannes inter omnes Indos nobilissimi sunt, præficiunturque à rege summis & primis officiis, quales sunt Quæstor, magistri aulæ, Legati, &c. iidem Sacerdotes sunt idoli Pagodes in India, summæ sane authoritatis apud vulgus.

Nec enim sententia vlla definitiua per Regẽ datur, nisi præmissa consultatione Brachmannorum; atque vt à reliquis discernantur, gestant in nudo corpore tres quatuorue chordas, ab humeris ad lumbos demissas, neque deponunt eas si vel de vita periclitandum sit, in quo se legem suam custodire putant, succinctorium circa corpus religant integentes eo pudenda, cæteroquin nudi sunt. Vtuntur interdum in publicum progressi veste talari ex gossipio, quam Cabaia vocant, tam stricte corpus ambiens vt ne ruga appareat, estque ea vestis quibusdam aliis Indis, vtpote Baianensibus, Gusaratibus & Decanyns similiter in vsu. Habent in vertice telam albam aliquoties circumuolutam qua capillos integunt. Capillos nunquam præcidunt, sed promissos & intortos alunt, more muliercularum. ex auribus vt plurimum annuli aurei, more reliquorũ Indorum. Nullum ex viuentibus animalibus comedunt, victitant solum ex herbis & oriza, quam abstinentiam strictissime obseruant, tametsi lethaliter decumbãt. Venam nunquam secant, curatio medica est ex herbis, vnguentis inunguntur ligno Sandali & cæteris lignis odoriferis. Degunt ad oram maritimam quamplures Brachmanni ex herbarum, aromatum, medicinaliumq; materiarũ quę stu vitã sustentantes vendẽtes eas vnciatim, parũ tamen diligenter selectas, parumque recentes. vix dici potest quam periti & expediti sint in rationibus atque exarandis literis. Sunt prætereaingeniosissimi, vnde fit vt plebeiis Indis quiduis persuadeant: & vulgus in religione totum ex ipsorum nutu dependeat, haud secus ac si diuino aliquo spiritu agitentur, id moris obseruantes vt quoduis primum mane obuium conspectum toto deinde die adorent. Mulieres foras progressæ corporis partes superiores vsque ad genua obuelant simplici tela, cætera nudæ, ex naribus annulos habent, similiter & circũ pedes pedumque digitos, item circum collum, brachia manusque circumeunt annuli vel septemplices, plærunque ex argento inaurato: vulgus eos ex vitro sibi parat, vti videre est in mulieribus passim per Indiam plebeiis. Masculi annorum nouem, fœ mellæ vero septem annorum inter se desponsantur, mutuo tamen

prius

prius non colloquuntur, quam puella fiat nubilis & vtero ferendo matura, Mortuo Brachmano conueniunt proximi foueamque in terram defodiunt, in quam ligna variamque supellectilem preciosam iniiciũt, & si potentes fuerint, proiiciunt sandala fragrantissima, aliasque herbas, item orizam, siliginẽ, edulia, oleum copiosum inflammando rogo, hinc mortui cadauer imponunt, ingreditur mox demortui coniunx comitata instrumentis Musicis personantibus, præcipuisque cosanguineis, concinentes vna hymnum in laudes defuncti; consanguinei consolantur viduam animumque addunt vt eo præsentius & alacrius in viri rogum insiliat, virumque comitetur in futuram vitam. quo facto vidua deponẽs Clenodia, ea amicis distribuit, insilitq; in rogum ardentem lætitiæ plena & ridenti ore se vmbris consecrans: vt primum insiliit, circumstantes oleum super eam infundunt; addentes insuper ligna vtrunque simul comburunt. Sin vero eueniat, quod rarissimum est, vt cum viro exuri nolit, capilli ipsi toto vertice deraduntur, nec deinceps per omnem vitam vllum ornatũ siue gemmam in corpore ferre permittitur, quia negligitur ab omnibus presertim viris haud secus ac si infamia notata esset.

Nobilium & procerum hic mos est in rogis constituendis, & idem obseruatur à quibusdam mercatoribus prædiuitibus: Vulgus vero & ipsum cadauera cremat, sed minore cum pompa.

Mulieribus virum sequi renuentibus deraduntur prædicto modo capilli, nec licet illis ornatis incedere, qui viduarum habitus est. Hic mos cremãdi cadauera, testibus ipsis Indis, inde sumptus est, quod olim vxores maritos suos vt plurimum veneno sustulerunt (sunt enim à natura libidinosissimæ) vbi tędium eorum cæperant, vti videlicet plus turpitudini indulgere possent. Rex itaque videns præcipuos suos Consiliarios atque regni proceres, in quorum humeris regni salus incumbebat, mulierum malitia absumi, huic malo remedium pro virili afferre statuit, publicato edicto, vt simul cum defunctis viris etiam mulieres cremarentur viuæ, quo à tanto facinore absterrerentur. Ea lex primum seuere obseruata fuit, nec obscurum fuit quod propter Nobiles, Brachmanos, reliquosque regios lata esset, nec enim vlli ex vulgo liberũ est arma ferre, qui haud multum à mancipiis differunt. inualuit deinde ea lex atque in consuetudinem abiit, atque in hunc diem pro religionis suę articulo id obseruant, vt plurimum nullo cogente & ex solo amicorum hortatu adducti. Brachmani dies ieiunij certos habent per annum, & sunt qui per integrum triduum siue quadriduum ieiunent.

Colunt Idola Pagodes. horum sacerdotes sunt Brachmanes, varia miracula de idolis referentes, astruunt fuisse ea homines sanctimonia claros in vita, sed ob bona opera in hac vita præstita relatos eos in sanctos in altera vita, quod ipsum miraculis editis contestati sint, eorumque effigies ex reuelatione & iussu defunctorum efformatas delineatione quam fieri potuit maxime terribili. Hæc sane idola adorant, illisque sacrificant variis superstitiosis ceremoniis adhibitis, firmiter credentes suos esse apud DEVM mediatores. Credunt omnes in vnum DEVM omnipotentem, cuius imperio regantur omnia, & quod anima immortalis sit, sed ita tamen vt ex vno corpore in aliud transmigret, nec esse differentiam siue in brutum, siue in humanum corpus inuolet, prout quisque bene vel male egerit, ex doctrina videlicet Pythagoræ, cuius se discipulos profitentur.

CAPVT XXXIX.

ARGVMENTVM.

De Gusaratibus, & Benianensibus in Cambaia.

GVsarates & Benianes ex prouincia Cambaiæ oriundi sunt, eorum complures habitant in Goa, Dio, Chaul, Cochino & reliquis Indiæ locis, negociantur enim passim frequentissime, distrahentes gossipium, telam bombycinã, orizam aliasque merces, præcipue gemmas: in rationibus & pingendis literis sunt doctissimi, adeo vt non reliquos solum Indos, sed & ipsos Lusitanos antecellant, in negociando vix solertiores astutioresue videas.

Nihil comedunt cuius vita in sanguine fuit; nec vllum animal quantumuis vilissimum vita priuant, siquidem firmissime credunt in omnibus viuentibus esse animam, quæ humanæ respondeat per omnia, quod Pythagoræ dogma fuit, quin piaculare ducunt, si auiculam à Lusitanis emerent, quam necare velint, siquam emerint, eam liberam in aerem dimittũt. Moris est in Cambaia vt per compita, perque deserta canales, impletos disponant, siliginemque atque alia legumina per vias dispergant in cibos auibus cæterisque animalibus.

Per Cambaiam passim sunt hospitalia publicis sumptibus constituta quæ ægrotantibus auiculis animalibusque brutis sollicite & fideliter curandis inseruiant: curant eas haud secus ac si homines forent, sanitati restitutas liberas in aerem aut quoquo versus abire sinunt, opus sane summæ charitatis atque misericordiæ ex ipsorum opinione ita exercentes æque ac si proximo fieret: quin si pediculum aut pulicem ceperint, minime eum necant, sed super panniculum positum in angulum aliquem sistunt liberum: nihil magis dolent, quam si præsentes aspexerint viuũ aliquod animalculum necari, quin tristissimi vltro pro iis deprecabuntur, orantes ne tãtum peccatum committere quis audeat, neue illi vita adimatur, cui deus & animam & corpus concesserit, offerent insuper precium redemptionis.

Cepas rubras, allium, aliamue herbam rubentem, neque oua comedunt, sanguinem siquidem inesse credũt. Vinum non bibunt, nec vtuntur aceto, potus est aqua pura. fame prius sitique necarentur, quam aliorum hominum cibos gustarent, & si quando cum Lusitanis à Goa in Cochinum negociandi gratia nauigant instituunt rationes prouisionis pro tempore in nauigationem insumẽdo, aquam herbasque sufficientes secum assumentes; quod si eueniat nauigatio opinione diuturnior, absumptis herbis & aqua, qualiter euenit me ipso præsente, fame prius sitique peribunt, quam Christianorum aliarumue gentium cibos potumue attigerint.

Non nisi loti cibum sumunt more Brachmanorum, adhæc aluum vesicamque exonerantes lauantur similiter. Colore flauescunt quemadmodum Brachmanes, aliqui paulo magis albicant: sunt quædam ex mulieribus, quæ pariter formositate & candore Lusitanas vincant, respondent in omnibus Europæis solo colore excepto.

Vestiuntur simpliciter alba stola, super nudam cutem induta, & in nodum interdum sub axillis collecta. Calceos habent ex rubro corio, acuminatos & inflexos in anteriore parte ad pedum digitos. Mentum radunt more Turcarum, mystacem

mystacem alentes. caput autem tela alba redimiunt quemadmodum Brachmanni.

Singulis auroris sandali lignum in aqua tritum cum quatuor vel quinque granis orizæ ad frontem illinunt, quod & Brachmani faciunt, ex legis obseruatione. cutem plærunque per totum corpus Sandalo aliisque herbis odoratis, quibus maxime delectantur, perlinunt, quod ipsis cum reliquis Indis commune est. Mulieres eodem habitu cum Brachmanorum vxoribus vtuntur. cibum sumentes considunt super terram, quod & Mahumetani & reliqui Indi faciunt. Domi conuenientes super stragulum expansum considunt calceos ante limen deponentes, nudi pedes domi obambulant, atque vt calceis expeditius vtantur posticam eorũ partem calcibus deprimunt. Alias insuper ceremonias particulares quam plurimas obseruant, quę cum nõ tanti momenti sint, studio eas prætermitto. ex dictis enim abũde constabit de moribus deque vita ipsorum.

CAPVT XL.

ARGVMENTVM.

De Canaras deque Decanyns.

CAnaras atque Decanyns terram Decan habitant. ea vulgo Ballagate dicitur, post Goam sita, vbi & habitant & negociantur holoserico, serico Damasceno & à Lusitanis integris telis conquirendo, vendunt ibidẽ telas bombycinas omnis generis, vasa porcellina, aliasq; merces ex Cambaia, China, Ballagate &c. accipiunt autẽ easdẽ merces à Lusitanis à quibus eas velut propolę studiose comparãt, vnciatim eas aliis vendentes, vtuntur in contractibus Maculatorib. quos ita vocant, qui inter ementes & vendentes medij sunt & merces aduectas coemunt, iidem quoque victualia ex continente aduectant in Insulam vrbemq; Goam, vtentes nauibus Indicis, Cambaiam, Sundam & mare rubrum petentes.

Habent artifices in auro & argento, item fabros æris rubri, atque alios opifices præstantissimos habitantes in Goa pari propemodum cum Lusitanis, Mesticis & Christianis numero, sunt autem tonsores, Chirurgi, fabri lignarij &c. Habitus idem est cum Gusaratibus, Benianensibus, exceptis calceamentis, quibus vtuntur more veterum, digitos nudos exerentes & in nudo pede loro connectentes. dicitur id calceamẽti genus Alpatcas. Barbas & capillos in vertice nutriunt intonsos, in nodum collectos atque in telam inuolutos similes Baianensibus & Brachmanis. Vescuntur cibis quibuscunque excepta carne bubula & suilla. & piscibus; boues enim & vaccas sacrosanctos habent, sinunt p areas domorũ oberrare, demulcentes & amice eas tractantes quantum possunt pascẽtes eas pabulo, q̃ sibi ipsis ppararunt. si bos aut vacca quid egesserit, accurrũt manibusq; egestũ excipientes retro abiiciunt. Pernoctant domi bestię eæ simul cũ hominib. humanissime exceptę ac si homines essent & ratione pollerẽt, credunt .n. Decanyns id DEO esse gratissimũ. quantũ attinet ad mores inter edendũ vsitatos, item ad lauacra domestica & reliquas sup̃stitiones Brachmanis sunt similimi. Despõsantur inuicẽ septẽnes octẽnesue, vbi annum duodecimũ attigerint matrimoniũ cõsũmant. Nuptias celebrãtes integrã q̃ndenã ante in apparatũ insumũt, pulsantes quotidie tympana, tubasq; p̃sonantes,

idemq; obseruatur pari tēporis spacio finitis iam nuptiis dies pariter noctesq; musicalia instrumenta personantes simulque concinentes, vt aures obtundātur. instante iam die nuptiarum conueniunt vtrinque amici, considunt in areā ædium, tum ignē in medio instruunt, quem septies inuertunt, additis quibusdam verbis magicis, atque hæc demum est matrimonij confirmatio. Filiabus præter gemmas quasdam nullam aliam dotem attribuunt, addunt clenodia preciosa, vtpote armillas, inaures &c. nec precij nec momenti alicuius, quibus sane mariti bene contenti sunt, nec enim filiæ parentum hæredes sunt, sed filij. Parentes tamen tam filias quam sorores eo vsq; alunt, donec matrimoniū contraxerint. Mortui in cinerem rediguntur, quos interdum vxores viuæ comitantur & ipsæ simul cremandæ, non ita tamen frequenter atque apud Brachmanos fieri solet. singuli opificium à parentibus acceptum exercent, familiam vocant. ieiunia & ceremonias pares cum Brachmanis obseruāt, nec aliam habent in ceremoniis differentiam, quam quod hi pro laicis, Brachmani vero pro Sacerdotibus proq; prophetis habeantur, conducunt vectigalia & reditus Lusitanorū per terram *Bardes*, *Salsette* & insulam Goam, pariter sub vrbis Goæ iurisdictionem pertinentes, vnde sæpe accidit, vt in iudicio vna cōparere cogantur, si quando rixæ, cotentiones siue aliæ actiones iuridicæ in foro transigendæ sint. Solent aūt in propria persona comparere sine aduocato, sine causidico, quandó cōmodissime & in optima forma causas suas agunt, citantes leges Lusitanicas, quin ipsos etiā canones tam dextre vt eos ad vnguē memoriter recitare, quin ipsam paginam citare videas. Supplicationes & replicas sine vllius adminiculo ipsi cōscribunt, & quidem tāto cum iudicio, vt ipsis Lusitanis admirationi sint, cuius rei & ipse testis oculatus non vna sane vice fui.

Iuramentum. Quod si casus ita fert, vt productis testibus fides rei astruenda sit, orbem siue circulum super terræ superficiem cum cinere sparso depingunt iudices, testes in eum considere iubentur, cumque testimonia dicēda sunt, consurgunt, & pugillum cineris furnarij supra caput ponūt, alterā manum supra caput, alterā supra pectus ponētes, iurantq; lingua vernacula in nomine *Pagodes*, veritatem absque dolo fideliter asserentes super omnibus de quibus quæstio datur, credunt enim firmiter se in æternum perditos iri, si iurati fidem vel in minimo fallant.

Atque hæc de præcipuis ceremoniis *Canaras* sufficiant. particularia minus momentosa studio præterimus, ne æquo curiosiores neue iusto prolixiores videamur.

CAPVT XLI.

ARGVMENTVM.

De moribus Canaryns & Corumbyns per Indiæ prouincias.

Canaryns & *Corumbyns* sunt rustici, qui vitam ex agricultura, atque piscatione, quique ex plantatione palmarum Indicarum fructum *Coquen* ferentium sustentant. exercent item alia seruilia ministeria, vestes lauantes & corpora mundantes, quod ipsis peculiare est opificium. Lotores vestium dicuntur *Maynottes*, alij qui tabellionum vices obeunt, dicuntur *Patamares*. illorum vsus est per hyemem, quando nauibus cursus præclusus est. Dicti *Canaryns* atque

Maynottes lauant vestes.

Corumbyns

Corúbyns inter omnes Indos sunt abiectissimi & calamitosissimi, vitam misere admodum sustentant comedentes facile parabilia, nec cibum vllum detrectant præter carnem vaccinam, bubulam, suillam & gallinaceam. eandem cũ *Decanyns* atq; *Canaras* religionẽ tenẽt, sunt enim eiusdem nationis & disciplinę. discrimen inter illos vix deprehendas, nudi incedũt exceptis pudendis velo simplici intectis. fœminæ & ipsæ telã bombycinã simplicem circa corpus religant, pertinentem à medio vmbilico ad media vsque femora, partẽ eius residuam super humerum reiiciunt ita vt medium pectus obueletur. Colore sunt fusco, rubro nõnihil mixto. Ex his plurimi baptizati sunt, siquidem loca maritima & Goæ vicina incolunt, propter palmarum cultum ripas fluminum amãtium tum propter orizæ sationem, quę & ipsa fundum amat humilem, qui per hyemem inundetur, ad hæc quod ex orizæ prouentu sustententur *Canaryns*; illi venales in vrbem Goam apportant gallinas, oua, fructus, lac &c. ex continẽtis partibus allata. habitant casas stramineas humillimas, foribus admodũ angustis & depressis, ita vt geniculando adrependum sit intrãtibus. aliam supellectilem non habent pręter stragulum stramineum cui noctu indormiunt. In area ædium foueam habent, vbi orizam contundant, habent præterea ollas ad summum duas orizæ coquendæ vsuales. liberos tot numero educunt, vt ad formicarum modum circumferueant, cursitantes nudi, donec annum septimum vel octauum attigerint, quando femorale assumunt. Mulieres enitentes sępe solę sunt in ędibus, si mariti forte in rure erint. vidi ipse parturientẽ quando cum amicis rusticabar incidens in tuguria *Canaryns*, & sitis restinguendæ gratia appropinquaremus ad ea petituri aquam. bibunt autem plærunque ex lagena rostrata cuprea, ne videlicet ori applicetur, sed aqua de supernis infundatur, atque modo enumerata supellex sufficit illis in rem familiarẽ, neque æris quicquam præter lagenam illam possident. Siti itaque vehementer correptus pressior in tugurium inspicio inserens per fores caput, rogo mihi aquam dari, conspicio simul mulierem solam, quæ velum seu succinctorium consuetum ad lumbos religaret, habens propositum canalem aqua plenum, Lusitani vocant *Gamello*, & lauantem infantẽ vix enixum sine vllo obstetricante. lotum in terram ponebat super folium patulum ficus Indicæ, orans me vt moram patienter ferrem, se iamiam expeditam mihi aquam porrecturam, ipse vero recens puerperam intelligens fastidium aquæ sumendæ cepi, & simul ad aliud tugurium perrexi, nec multo post video eandem ante casam oberrantem alacriter, ac si puerperium nullum experta fuisset. vbi infantes in mundum editi fuerint porro nudi educantur, nec aliam eis curam matres adhibent, quam vt mundatos in aqua frigida lauent, ita adolescunt felicissime, optima membrorum compagine & magis erecti, quam nostrates, tametsi omni cura, omni cultu atque in delitiis educantur. Nec rarum est, vt saluberrima corporis constitutione ad annum centesimum pertingant, ita vt nec capitis, nec dentium dolorem, labefactationemue aut casum vllum sentiant. In summo vertice villum ex crinibus innodatum habent, quem perpetuo crescere sinũt, reliquum capillorum detondent.

Pariunt sine obstetricante.

Natare expedite sciunt, nulloq; negocio se sub vndam demergunt. Solent flumina paruis scaphis *Amadias* dictis obnauigare. aliquæ illarum constant ex solido ligno excauato, tam paruæ, vt vix vnum virum capiant. Contingit sæpius vt scapha bis, ter, quaterue inuertatur antequam alueum traiiciant. quod si fit, insilientes in flumen, scapham erigunt, haustamque aquam educunt, repetentes sedem suam. sunt adeo ærumnosi vt pro vnico obulo se flagellari sustineant, parcissimi cibi, vt ex aëre velut chamæleon, viuere eos putes. Macilenti admodum sunt & membris nimium gracilibus atque infirmis,

Scaphæ Canaryns ex ligno excauato.

exucci,

exucci, vecordes, timidi, vnde à Lusitanis multum vexantur, nec mitius atque canes aut bruta tractantur. in matrimoniis contrahendis, atque defunctis sepeliendis pari cum *Decanyns* atque *Canaras* vtuntur ritu, nec in religione differunt. Defuncti cremantur, quorum viduæ capillos præcidunt, & clenodia sua confringunt, licet & pauca & vilissima, vtpote ex vitro habeant.

CAPVT XLII.

ARGVMENTVM.

De Arabibus, de Abyßinis qui Indiam incolunt.

Complures per Indiam Arabes atque Abyssini habitant. Arabes alcoranum obseruant, Abyssinorum aliqui Christiani sunt, sed suo more, originem enim ex regno *Pratonis Iani*, quod post Mossambicam ad Nigrittarum confinia, & ad Nilum flumen pertinet, trahunt. hinc fit vt Mahumeticas superstitiones ex Nigrittarum Ægyptiorumque consuetudine imbibant. Sunt eorum vtriusque sexus in India, qui ab Æthiopibus capti pro mancipiis venduntur, quemadmodum & reliquæ nationes Indicæ. Abyssini Christianorum religionem sequentes notati sunt quatuor signis transuersim crucis forma, per faciem videlicet supra nasum inter vtrunque oculum versus frontem, vtrinque ad tempora, & in mento. hæc signa baptismum ipsorum referunt loco aquæ nostris vsitatæ. Arabes & Abyssini tanquam homines liberi nautarum & remigum officia obeunt in mercatorum nauibus, à Goa versus Chinam Iaponiam, Malaccam Armusiumque tendentibus. nec enim aliis vtuntur remigibus, nec si velint alios habere possunt. Lusitani siquidem erubescunt eiusmodi porro obire seruitia, tametsi & ipsi remiges in Indiam appulerint, & dum in Lusitania viuerent, nisi vilissimi piscatores fuerint, quod si fieret, putarent sane se eo honore & existimatione qua in India fruuntur, indigne priuari. nauium enim gubernatores, nauarchi, Capitaneiq; haberi volunt, & si quis vllo gradu inferior esset, id ad dies vitæ sibi dedecori & infamiæ duceret. sane res Lusitano minime ferenda. Abyssini & Arabes vilissima mercede operas suas locant, locatas officiosissime præstant, adeo vt si interdum non vt mancipia, sed vt canes tractentur vapulentque, id patientissime sufferant, sine vlla tergiuersatione. in nauibus vxores & liberos secum habent, quocunque locorum abeuntes. Victum sibi ipsis parant. est autem oriza in aqua decocta, quam cum pisce salito comedunt. causa cur familiam secum habeant est, quod per æstatem moris sit in mari plærunque nauigare propter ventos fauētes, & maris tranquillitatem.

Signa inusta loco baptismatis.

Habent in nauibus vnum atque alterum vt plurimum ex Lusitanis, qui Capitanei & naucleri officia obeat, habent præterea patronum nauticum, natione plærunque Arabem, cui nomē *Macodon* fecerunt, is in Abyssinos & in reliquos Arabes remiges imperium habet, quos haud secus ac mancipia tractat, atque hic *Macodon* idem est, qui cum magistrum de numero remigum conscribendo agit, salarium per menses accipit quando rationes cum reliquis nautis subducit, nec enim nauium magistratus in eo occupatur. Naues dictæ non vtuntur doliis aqua refertis, nec enim dolia per Indiam habent, nec fabricare norunt. si qua sunt, ea ex Lusitania aduecta ex Lusitanorum nauibus reliqua sunt. Loco doliorum vtuntur canali vasto quadrato, in sentina ad malum

summum

summum posito, bene picato, vt aqua in cursum institutum sufficiat. Capitaneus, nauarchus, nauclerus, mercatores, comites singuli sua quadra victitant, & singuli suam aquam dulcem in vasis fictilibus *Martauanas* dictis, secum habent. qua de re suo loco actum fuit. Conductitij hi remiges tam prompte seruitia sua offerunt, vt si quis pileos ipsorum ex capitibus direptos in patens mare proiiciat, vel si quiduis aliud è naui decidat, ipsi protinus saltu se in mare immittant, remque proiectam repetant. ludunt enim in aqua more piscium.

Si naues in portu siue alueo fuerint, ipsi in scapha littus petunt, mox vnus ex ipsis scapham ad nauē reducens de naui eam religat, & renatando terrā repetit. Hinc si cursum vlterius instituunt naues, & in hisce remigibus mora vlla sit in insiliendo mari, aut alio quouis officio præstando, *Macodon* protinus pessime flagris exceptos vi eos impulerit, quod tamen raro accidit: quod sponte sua promptissimi sint, quin inter se certant, adeo vt quisque suum ministerium potior deferre velit. quicquid agant, siue rusticentur, siue aliud tractent, melodias simul concinunt tanquam per choros, ita tamen vt vnus præcinat, reliqui in eodem tono sequantur, velut harmonicis quibusdā numeris modulantes. Dum in continente viuunt, totos dies compotationibus, & in tabernis, sæpe cum vxoribus & liberis terunt, domum reuertentes se manu mutuo per plateas poti trahunt, vacillantes & mire insanientes. Vxores induuntur caligis, quod tam Arabibus, quam Abyssinis commune est.

Abyssini in omnibus actionibus concinunt.

CAPVT XLIII.

ARGVMENTVM.

De Nigritis ex Mossambica, quos Caffres vocant, deque moribus & vita ipsorum.

NIgrittæ siue *Caffres* ex Mossambica, tum quicunque ad littus Æthiopiæ habitant, quique in cōtinente Aphricæ sunt vsque ad Caput bonæ spei omnino nudi currunt: mulieres tamen in Mossambica modice teguntur, quod ex Lusitanorum consuetudine habēt. Lusitani enim telam bombycinam ex India ad *Cafres* aduectantes permutant aurū, ebur & reliqua, quorum indigent accolæ ad caput bonæ spei: hinc vestiuntur pari habitu cum primis nostris parentibus Adamo & Eua, quali videlicet in paradiso vsos fuisse perhibent. Colore sunt nigerrimi. capillis tortis, nigris in vertice & in mento, rarissimis tamen: naribus simis, labiis tumentibus, aliqui perforata vtraque habent labia & malas, in foramina ossa inserunt ornatus gratia. alij corpus punctim incidunt ferro candente, pinguntque ad formam serici tessellati: hoc habitu ita superbiūt, vt sub sole pulchriores non credant se ipsis, hinc nostræ nationis hominibus vestitis illudunt tanquam monstris. quando dæmonium exprimere volūt, pingunt hominem vestitu album: suum enim colorem verum & natiuum credunt, nostrum vero adulterinum & deformem. Sunt inter illos qui dentes lima acuant tam acute quam clauos, non minus id ipsum ornatui ducentes. qui littus Abyssinum siue *Melinde*, quique Mossambicam habitant Alcoranum obseruant, quod finitimi sint mari rubro, & Arabibus Mahumetanis, cum quibus quotidie commercia instituunt. Tales sunt etiam ij qui in locis maritimis Orientis, antequam videlicet à Lusitanis occuparentur, degunt. Mahumetani enim loca illa frequen-

Habitus Adami & Euæ.

Dentes lima acuuntur.

tantes venenum sectæ suæ passim effuderunt, quæ & ipsa causa est, cur Christi doctrina nullas propemodum inter ipsos radices egerit. Sunt tamen pauci à Lusitanis conuersi, nec enim magnopere laboratur in prædicando illis Euangelium, quod fere desperati sint, & quod aër minus salubris sit: *id Iesuitæ probe callentes, adhæc quod ea terra fertilitate & reditibus minime respondeat Indiæ, Iaponiæ reliquisque locis vnde præcipui thesauri petantur, callide se subducunt.* Maxima pars Cafrorum viuunt more plane beluino in casis amplissimis, in quibus totæ familiæ simul habitant. in quauis casa seu pago Regulus est, cui reliqui parent. Dissident inter se pagi perpetuo inuicem belligerantes. Iura quidem & statuta habent politica, non tamen magni vsque adeo momenti nullam religionem habēt, neque vllam DEI notitiam, vllamue similitudinem eius. Viuunt ex venatu, cui sunt deditissimi: comedunt carnes Elephantorum & reliquarum ferarum.

Iesuitæ auari & impij.

Arma sibi parant ex ebore loco ferri aut chalybis. aliqui carnibus etiam humanis vescuntur, rursum alij non quidem iis vescuntur, sed bello captos vendunt, videlicet quibus cum Lusitanis intercedit familiaritas. captos enim cum tela bombycina aliisque mercibus Indicis permutant. Moris est inter ipsos, vt in expeditionem proficiscentes victoriaque potiti, eos aliis præferant, qui vel plures ceperint vel plures occiderint. atque vt de numero cæsorum captorumue hostium testari possint coram Rege suo, *pudenda hostibus captis præcidunt iterumque eos dimittunt, faciunt id ne porro generent liberos hostes futuros, pudenda exsecta probe desiccant ne putredinem olida contrahant, sed vt durare queant. vbi exsiccata fuerint, assumptis illis in conspectum regis veniunt, deferentes illi honorem debitum præsentibus reliquis primoribus eiusdem pagi. hinc pudenda singula in os sumunt, iterumque ea ad regis pedes in terram expuunt, quæ Rex cum gratiarum actione humo attollit, atque vt fortitudinis ipsorum aliquam remunerationem eis præstet, ea honorarij loco victori restituit, attribuens simul titulum illi equestrem. Victor pudenda à rege accepta filo transmisso connectit atque pro monili seu torque aureo habet. hinc si nuptias aut aliam solennitatem instituunt, sponsæ, & cæteræ equitis huius vxores conueniunt, atque de collo eiusmodi torques suspendunt. non minus ipsis decoras & suspiciendas, quam nostris vellus aureum siue gartertium Anglicanum. at illæ hoc habitu incedentes vel totius orbis se reginas videri credunt.*

Pudenda victis exsecta.

Ordinis Equestris insignia.

Mulieres torquatæ.

Cafres ex Mossambica frequentes in Indiam auecti sæpe duobus tribusue ducatis venduntur iam adulti & perfectæ ætatis, atque vtriusque sexus. at vbi Lusitanorum naues in Mossambicam recreationis gratia appellunt, tum paulo pluris vendi solent, propter mercatorum frequentiam.

Causa cur tot mancipia in Indiam venalia deportentur, hæc est, quod videlicet vix decem aut duodecim milliaribus emensis, alij reges, alia regna occurrant, quin singuli pagi, singulas nationes habeant inter se & legibus & linguis, & moribus diuersissimas, vnde continua bella inter se gerunt. si qui in bello capti fuerint, venduntur more pecorum. quin capti fortunam patienter ferunt, nec de ea multum solliciti sunt. Quæsiti quo animo seruitutem ferant, respondent, vtcunque, præsentem fortunam sibi accommodandam, accidere id ex influentia cœli, se non dubitare, consanguineos atq; amicos suos, talionem hostibus relaturos.

Vbi annonæ caritas, aut alia necessitas postulauerit, integrum est parentibus liberos vendere. vidi ipse parentes ad Lusitanorum vrbes cum liberis venientes, eosque precio venales exponere, quando puer octennis decennisue quinq; aut sex *Masis* orizæ, siue tribus quatuorue ducatis venderetur. aderant qui se ipsos vxoresq; atq; liberos pariter in seruitutem offerebant, dummodo victum haberent. quoniam vero Lusitani passim negociantur per Indiam, inde fa-

Parētes liberos vendunt.

de factum est, vt & passim *Cafres* venales illis in tanta copia offerantur: instituiturque Lusitanis peculiaris negociatio in emendis vendendisque mancipiis hisce, non secus atque in aliis mercibus. Cætera quæ Cafres, quæque Mossambicam concernunt, suo loco exposuimus.

CAPVT XLIV.

ARGVMENTVM.

Da Malabaris & Nayris in India, deque moribus & constitutionibus eorundem.

MAlabari habitant in continentis partibus inter Goam & Caput Comerinum in austrum vergentibus, quibus in locis piper crescit. loquuntur sua peculiari lingua. Terra ea in multa regna diuisa est, qua de re supra in descriptione littoris actum est. Lusitani nullos infestiores habent. persequuntur enim Lusitanos aperto marte terra mariq;, sunt audacissimi & natura superbi, incedunt nudi non nisi pudenda tecti. Mulieres sub vmbilico succinguntur supparis ad media femora pertinentibus, reliqua nudæ. robustissimi sunt & musculosi, temerarij, inflati, subnigri, cute tamen valde glabra & pura, inungentes se vt plurimum oleo, vnde nitescunt. Capillos nutriunt, atque in summo vertice in nodum colligunt, qui mos vtrique sexui pariter familiaris est. Auriculas tam patulas, tamque demissas habent, vt super humeros fluitent, quę quo magis sunt patulę, eo virum reddunt spectatiorem honorabilioremque, quod singularis ornatus sit. De facie & reliqua corporis constitutione Europæis sunt similimi, nec in vllo præter colorem differunt. Viri vtplurimum villis ad pectus & per totum corpus rigent, suntque inter omnes Orientis nationes luxuriosissimi, vnde raro puellam septem vel octo annis maiorem reperias virginem. prostituunt se vilissimo precio cuiuis facilime. nec enim infamiam ducunt. De re familiari parum solicitæ sunt, quæ non à *Canaryns* & *Corumbyns* differre videtur. in religione & superstitionibus cum cæteris Indis conueniunt.

Puellæ octo annorum defloratæ.

Duo genera Malabarorum sunt, vnum est nobilium Nayros dictorum, artibus militaribus imbutum, tractans arma, paratum quouis tempore in regis obsequia.

Nõnulli ex illis nõ nisi stricto ense curto lato in dextra sublato incedũt, in sinistra scutum pręferentes. Scuta latissima sunt ex ligno leuissimo confecta, patent in tantum, vt toto corpore post ea latere possint. Hisce armis exercitatissimi sunt, incedentes per plateam ensem supra scutum concutiunt tanto cum fragore, vt exaudiantur prius quã in cõspectum veniant. Nonnulli arcum & sagittas in tergo ferunt, peritissimi in iaculando: alij sarissas gerunt, alij bombardas stupa fumante per brachia religata, instructas cannas bombardarum tam præstantes habent, vt meliores per Europam non inuenias: quibus tam dextre vtuntur, vt Lusitanis nulla ex parte sint inferiores: non nisi armati noctu diuque incedunt. Vxores non habent, neque matrimonia contrahere illis licitum est. *sed liberum est illis vt cum filiabus Nayrorum concumbant, siue cum aliis quibuscunque libuerit, tametsi maritatis. vbi incessit eos libido ingrediũtur ædes pro libitu, arma ante fores deponunt in signum præsentiæ, fores apertæ manent, ipsi rem suam cum ædium hera, siue filia herili perficiunt, nec vlli eos interturbare licet. Si quis peregrinus vel ipse ædium*

Nayros armati incedunt.

Nayri libere cum alienis vxoribus concumbunt.

herus præteriens arma Nayri ante fores conspexerit, tacitus transit, donec Nayros se expediat. Nayros expeditus egreditur arma tollens atque institutum iter pergit. Hinc ædium herus intro reuertitur, nec de adulterio commisso verbum vllum facit, neque nouum aut mirum vlli id videtur. Eodem modo patent illis omnium fores, nemine resistente aut tergiuersante.

Dum incedunt *Nayros* per plateas exclamant *Po, Po*, id est, *attendite, iam venio facessite de via*. reliqui enim Malabari qui non ex numero Nayrorum sunt, vulgo *Polyas* dicti, ne digito quidem *Nayros* tanquam sacrosanctos audent contrectare, qua de causa exclamantes obuios præmonent, vt inde secedant. si *Polyas* in via substiterit aduentante *Nayro*, *Nayros* obuium ense transfodere saluo iure potest.

Nayro licet transfodere Polyas.

Vbi *Nayros* à *Polya* vel alterius nationis homine contrectatus fuerit, necesse habet, vt per totum corpus tanquam pollutus abluatur expieturque, aliter enim cum reliquis *Nayris* nec cibum sumere nec conuersari possunt, quæ expiatio certis quibusdam ritibus peragitur.

Eadem ratio est, si à Christiano homine contrectati fuerint. Cum Lusitani primum in Indiam appulsi cum rege Cochino fœdus inirent, petierunt *Nayres*, vt Lusitani sibi de via concederēt, quemadmodum & reliqui Indi si quando obuiam sibi fierent. at Lusitani nullo modo consentientes neutiquam de iure suo cedebant, nec se inter vulgus computari permittentes se minime inferiores virtute rerumque bellicarum peritia Nayris ducebant, vnde iniquũ existimabant de via excedere, neque inter illos super hac quæstione conuentum fuit, atque vt paci consuleretur, conuenerunt, vt res duello decerneretur, selecto vtrinque vno qui singulari certamine de vita dimicarent, ea conditione, vt victę partes, alteris de via excederent. progressis ita in medium viris duobus fortissimis certamen inierunt publice, in quo *Nayros* succubuit, vnde *Nayri* deinceps Lusitanis concedunt de uia donec præterierint.

Lusitani victores certamine singulari.

Nayros vngues in manuum digitis prælongos & acuminatos alunt: id signũ esse nobilitatis volunt, siquidem vngues irresectos habere arguit eos à manuum opificio immunes esse. aiunt præterea robur manuum inde firmius esse ad corripiendos tenaciusque seruandos enses, vnde Lusitani & Mestici hodie idem in vnguibus, simiarum more imitantur. Nayrorum primores qui in reliquos velut Capitanei præfecturam habent, supra cubitum brachiali aureo vel argenteo ornantur, quemadmodum & reliqui per Indiam proceres, item Legati & Reges ipsi, cæteroquin nudi sunt, quales reliqui omnes solent incedere. Si quando reges, proceres vel legati foras progrediantur, stipantur circumquaque Nayris, fortibus alioquin & strenuis militibus, quique cum grauitate singulari arma tractare norunt: vindictæ adeo cupidi sunt, vt si quando in expeditione nauali aliquis eorum hasta transfigatur, nullo modo concidat, sed vel infixam hastam è vulnere euellat, vel si euellere nequit eam vsque adeo transadigendo per propria viscera adducat donec hostem manibus corripere & vltionem de eodē sumere possit. Regi non licet Nayrorum cuiquam publico iudicio vel accusare vel damnare, quod si eueniat vt capitis rei sint, res à reliquis Nayris in iudicio decernitur.

Vngues in digitis nutrire Nobilitatis.

Filiæ Nayrorum cum nullo alio ex lege consuescunt præterquam cum ipsis Nayris, tametsi clam Lusitanos & Christianos æque admittere soleant: si tamen in facto deprensæ fuerint à Nayris, nullo interpellante, de iure possunt, à Nayris confodi licite. prope singulos vicos fossa est, aqua plena ex qua se prætereuntes singulis auroris lauent nullius prætereuntis verecundia moti, inferiora posterioraque primum purgant, mox caput & faciem, idque tam viris quam fœminis in vsu est absque omni pudore quicunque sane prætereant,

Filiæ Nayrorũ non nisi cum Nayris licite concumbunt.

Nayri quotidie lauantur.

sereant, aut contemplantes consistant, quin rex ipse eundem morem seruat. aqua, cuius mentionem feci, fœtet vsque adeo vt prętereuntes nares ad eam obturare cogantur; credunt firmiter si non quotidie in eo lacu lauerint, quod eo toto die polluti & peccatorum sordibus inquinati sordeant. Hæc per aquā purgatio nullo modo per flumen viuum, sed per aquam in hunc vsum peculiariter effossam, & stagnantem, quin per Brachmanes suis ceremoniis consecratam fieri oportet, secus sine fructu erit. In superstitione & cultu idolorum cum reliquis Nayris conueniunt: mortui cremantur.

Filij non fiunt parentum hæredes, siquidem mulieres omnibus communes sunt, nec de filiorum patribus certo constare potest. Quin Regis quoque vxores Brachmanis communes sunt, quod sane Regi vel maxime honorificum est, ducitque beneficij loco rex, si Brachmani cum eius vxoribus concumbant. Filij sororum hæreditatem adeunt. dictitant enim tametsi de patribus dubitent, certo tamen constare de eo quod genuini sint sororis filij. atque hactenus de *Nayris*, de nobilibus & Soldatis tractationem instituimus. Reliqui Malabarorum sunt laici, dicti *Polyas*, rustici videlicet, opifices, piscatores &c. quorum conditio abiecta est & miserrima, illis arma nec tractare nec ferre licet, nec vllum Nayrorum tactu contrectare, eorumue conuersatione vllo modo vti. Quod si Nayri per viam incedentes & more suo exclamantes de longinquo exaudiantur à *Polyas*, statim *Polyas* in latus concedunt astantes demisso capite, manibusque & brachiis complicatis, oculos in terram figunt nec eos attollere audent, donec Nayros prætereat.

Filij non sunt hæredes parentum.

Polyas arma non tractant.

Postea dicemus de reliquis Indorum statutis.

CAPVT XLV.

ARGVMENTVM.

De Æthiopibus & Iudæis qui per Indiam degunt.

SVnt passim per Indiam Iudęi & Æthiopes in copia, quales in Goa & Cochino complures inuenies. Iudæorum aliqui ex puro Hebręorum sanguine descendunt, alij ex promiscua Hebræorum & Æthiopum olim hebraizantium cōsuetudine procreati sunt, in re familiari & habitu similes sunt iis quibus cohabitant. Tēpla, Synagogas *Mescitas* promiscue inter Indorum ædificia positas habent, vtentes ceremoniis quisque pro legis suæ obseruatione.

Multi Iudæi in India.

Vetitum est in Lusitanorū oppidis publice diuersa religionis exercitia instituere, neque ipsis Indis in eo indulgetur, tametsi habitent cum familiis, negocienturq; promiscue inter Lusitanos. at priuatim in domibus liberum est suo cuiq; more viuere, dummodo aliis non sint scandalo. extra vrbem & in locis quæ non sunt sub Lusitanorum imperio, superstitiones liberæ sunt. quod si in Lusitanorum oppidis deprehendantur publice superstitiones ethnicas, vel cū Christianis rem Veneram exercere, cuiuscūque demum sexus fuerint luent id in corpore, excepto si conuersi Christianam religionem accedant, vti sæpe fit extra vrbem Cochinum, in aula regia vbi Iudęi atq; Æthiopes libere agunt. Sane in Cochino Iudæi habent ædificia admodum splendida ex lapide constructa, exercentes negotiationes amplissimas, & præcipuum locum inter cōsiliarios regios obtinentes. Habent ibidem Synagogam, Biblia Hebraica,

Indis capitale cum Christianis concūbere.

Iudæi consiliarij regis Cochini.

atque tabulas legis Moysis, quas ipse manibus meis contrectaui.

De facie sunt colore vt plurimum candido similes Europæis, vxores habēt formosissimas, inter quas aliquæ ex Palęstina & ex Hierusalem adductæ sunt. Vtuntur pariter omnes lingua Hispanica, obseruantes ferias Sabbati, sperantesque in venturum Messiam. Æthiopes similiter suas quoque *Mescitas* siue Oratoria habent, ea contignationibus diuersis & procesteriis suis de supernis distincta sunt. in summis illlis contignationibus pueri in Catechismo instituuntur; canalis aqua plenus perpetuo ante templum est. templum ingredientes calceos exuunt, ingressi templum in faciem procidunt, & exertis brachiis mire gesticulantur. Circumciduntur pari cum Iudæis modo; carnem suillam non comedunt; mortui in terram defodiuntur. In templis nullum sculptile, neque similitudinem pictam vllam habent, visuntur ibi monumenta sepulchralia inscripta characteribus Chaldaicis ex Alcorano ipsorum petitis. Comitatus aliquādo Lusitano præteribam templum Mahumetanum, cupiens introire & orandi ipsorum modum obseruare. at ianitor accessum prohibebat, iubens vt prius calceos deponeremus. nec enim aliter introire liceret. vt tamen forinsecus inspiceremus, permittebat nos ad fores vsque accedere, aperiens fenestras vt omnia manifeste apparerēt. Lusitano quęrente vbi DEI, & vbi Sanctorum haberent idola, respondit Æthiops se nullum cultum lignis & lapidibus deferre, sed ipsi DEO viuenti factori cœli & terræ. tum cōpellans nos hisce verbis aiebat, *vos sane homines cæci estis pariter qui ethnicos, quique Christianos vos profitemini: adorantes idola insensata, cultumque soli* DEO *omnipotenti debitum creatis deferentes.* quod Lusitanus audiens ira incandescebat, verbis simul iniuriosis eum redarguens, vnde concursus Indorum atque Æthiopum fiebat subitus, & nisi ipse altercantes diremissem, comitemque seduxissem, res ad manus procul dubio deuenisset, quare pergentes viam nostram tumultum euasimus. Æthiopes valde negociantur aromatibus versus mare rubrum atque cętera adiacentia loca, tam mari quam terra. tametsi vero nonnulli cum Lusitanis commercia habeāt, atque promiscue inter illos habitent, nihilominus tamen hostiliter erga eos affecti sunt, & quibuscunque modis possunt clam eos infestant.

Æthiopes nudipedes templum ingrediuntur.

Æthiopes ligna non adorant.

Atque hæ præcipuæ sunt causæ motiuæ cur porro nulli Indorum ad Christianos accedant, sed potius si qui nomina sua in baptismate antea professi fuerint, illi ipsi relabantur ad ethnicos: quæ sane sufficiant de Indorum moribus & vita. Ad calcem sequuntur Icones in quibus status regis Cochini, quomodo in Elephantis obequitare stipatus Nayris & Soldatis consueuerit, luculenter ob oculos ponitur. depinguntur ibidem reliqui Malabari vtriusque sexus *Polyas*, vna cum Æthiopibus & Mahumetanis per prouinciam *Canonor* & inter Malabaros habitantes. depinguntur & Christiani Thomistæ nati altero pede deformiter intumescente: qua de re in descripione actum est.

CAPVT XLVI.

ARGVMENTVM.

De Idolis Indorum, Pagodes dictis, de Indulgentiis, votiuis peregrinationibus, ceremoniis, superstitionibusque eorundem breuiter & in genere hic agitur.

Passim

PAſſim per Indiam *Pagodes*, idola conſpiciuntur, quorum alia aliis venerabiliora habentur; viſitantur eadem ab Indis votiuis peregrinationibus, vnde indulgentias impetrant. Ea ſane reliquis ornatiora ſunt, circumquaque appenſis clenodiis & gemmis precioſis, de quibus hoc loco pro neceſſitate agam, vnde de reliquis deinceps iudicari poterit.

Haud procul à Goa verſus boream ad oram maritimam vrbs *Baſſaya* Luſitanis habitata conſpicitur, prope quam inſula parua littori *Salſette* contermina iacet. in ea ſunt duo templa magnifica, in qua coluntur idola præ aliis magnifica, *Pagodes* dicta.

Duo templa in Salſette.

Alterum templum, ſeu ſpelunca potius, in præalta rupe ex ſolido ſaxo exciſum eſt, illud intrinſecus tam late patet, quam vicus aliquis ſatis ſpacioſus, habens quadringenta ædificia. in introitu montis adeſt domuncula idolis *Pagodibus* conſecrata, & ipſis in rupe inciſis forma admodum terribili, quo in loco hodie Franciſcani templum fundarunt *S. Michaelis* nomine inſignitum. Si quis intrarit ab inferiore parte in montem, videbit in circuitu complura idola *Pagodes*. quod ſi altius conſcendatur, alius aderit circuitus & ipſe idolis & cellulis refertus, quod ſi magis in ſummum aſcendatur, tertius adeſt circuitus ſimiliter plenus idolis & cellulis in ſolidum ſaxum inciſis. prope cellulas poſitus eſt canalis ampliſſimus ex lapidibus aqua plenus, in quem ſuis ductibus pluuiæ deſcendunt. tandem conſcenditur ad quartum vſque circuitum, in cuius ambitu plus quam quadraginta *Pagodes* atque cellulæ conſpiciuntur forma plane diabolica & contuentibus formidabili prorſus.

Franciſcanorũ templum.

400. cellulæ pagodes.

Alterum templum ſiue ſpelunca alio in loco ex ſolido ſaxo exciſum pariterque turpiſſimis idolis plenum eſt. Præterea habent Pagoden, quem reliquis omnibus præferunt. is in parua quadam inſula *Pory* nomine, conſpicitur, dicitur autem à Luſitanis *Pagodes Elephantorum*.

Pagodes Elephantorum.

Eſt in inſula mons præaltus, in cuius ſummitate introitus in ſolidum ſaxum inciſus tam patet, quam cœnobium aliquod ſpacioſum, in eius penetralibus aquæ canalis arte laboratus, & idola in ambitu ex lapide formato complura, item effigies Elephantorum, leonum, aliarumque ferarum innumeræ conſpiciuntur: videre eſt ibidem amatores inciſos & eiuſmodi bene formatas ſpecies varias, quæ ſane tanto artificio elaboratæ ſunt, vt admirationem mereantur. Putant aliqui, quod Chinenſes induſtrii artifices olim ædificium hoc cõſtruxerint, quando videlicet in hiſce Indiæ partibus negociabantur. ædificiũ illud collapſum & omnino deletum eſt poſt Luſitanorum appulſum, atque hinc coniicere licet quam ſplendida habeant per continentem ædificia, iis videlicet in locis vbi regiæ aulæ & regimen prouinciarum inconcuſſum ſeruatur.

In inſula *Seilon*, de qua ſuo loco actum eſt, mons altiſſimus eſt, mons Adami ſiue *Picodadam* vulgo dictus, in eius vertice ędificium eſt amplitudine cœnobij, in eo colitur *Pagodes* quidam ſumma cum veneratione. erat in eodẽ loco olim Dens ſimiæ auro & gẽmis ornatus, qui ab omnibus per vniuerſam Indiã pro ſacratiſſimis reliquiis habebatur. ad eum .n. omnes Indiæ nationes, votiuas peregrinationes ſuſcipiebant haud minori cum frequentia, quam eæ quæ fiũt ad S. Iacobum in Galitia prope *Compoſtellam*, ſiue ad montem *S. Michaelis* in Gallia dabantur autem indulgentiæ ampliſſimæ, quæ deuotionẽ peregrinantibus augebant, adeo vt per quadringenta quingentaue milliaria cateruatim accurrerent.

Dens ſimiæ in monte Pagodes.

Vota ad dentẽ ſimiæ.

Accidit

Anno 1554. expeditio in Seilon.

Accidit deinde anno 1545. vt Lusitani expeditionem in hanc insulam susciperent, quando totam eam peruagantes in summum vsque montis conscendebant, sperantes prædam opimā. locus enim ob peregrinationes erat famosissimus. Vnde templum protinus diripientes, nihilque præter dentem simiæ in cistula, & preciosissimis gemmis ornatum reperientes, eum in prædam abreptam Goam mittebant.

Indi offerunt 700000 fl. pro dente simiæ.

Vicini reges vbi de parum hoc læto nuncio certiores fiebant (vtpote rex Pegianus, Sianus, Bengalæ, Bisnagar) dolebant admodum de tam preciosis reliquiis abreptis, & vnanimi consensu *Legatos ad viceregem in Goam miserunt, qui de repetendo eo dente officiose agerent, offerentes illi præter alia donaria preciosissima septem auri tonnas pro redemtione dentis.* Vicerex tanta pecuniæ vi permotus cogitabat de dente restituendo; at Archiepiscopus *Don. Caspar*, heri mei in archiepiscopatu antecessor, resistebat inquiens, se Christianos esse, quibus nullo modo liceret idololatriam & diabolicas superstitiones confirmare indulgendo, quin religionem Christianam flagitare, vt impio illi cultui omnibus modis resistatur. His Archiepiscopi sermonibus Vicerex permotus petita Legatorum recusabat, atque ipsum dentem in conspectu Legationis flammis in cineres redigens, cineres per aerem in mare dispergebat, quæ res Legatos confusos fecit, adeo vt mœstissimi domum reuerterentur, stupefacti tantum auri pondus nihil valuisse, cum tamen petitam rem non modo nulli vsui reseruassent, sed pro nihilo in maris fluctus abiectam dispersissent. Haud multo tempore post quidam ex Benianis (sunt autem illi admodum subdoli) comparuit. is suppositum dentem proferebat persuadens Indis ethnicis, miraculose & singulari prouidentia DEI sibi dentem restitutum, *Pagoden*.n. visione nocturna aperuisse sibi modum recuperandi eum, atque eum ipsum esse dentem, quem se Lusitani credidissent igne absumpsisse. inuisibilē enim eum Lusitanis fuisse, eos vero alium quendam suppositītium cremasse. crediderunt simplices homunculi hisce impostoris ineptiis, & accitum magna pecuniæ vi donabant, recepto dente cum summa exultatione. Atque hoc modo Dens recuperatus in locum pristinum rediit, manentibus & ceremoniis & superstitiosa veneratione, vt prius.

Dens simiæ combustus.

Impostura Beniani.

Maximus Pagodes.

In regno *Narsingæ* ad littus *Choromandel Pagodes* longe preciosissimus diuitiisque auctissimus est, quem populi deuotissime venerantur susceptis peregrinationibus pene infinitis, fiunt ibi annuatim processiones, dedicationes & festa innumera. Habent currum tantæ molis, vt à quatuor Elephantis vix trahatur, is non nisi in summis festiuitatibus ducitur, funes ad eum circumquaque annexi sunt, quibus eum vtriusque sexus homines ex mera deuotione promouent. est in summo curru receptaculum siue thronus in quo residet *Pagodes* idolum cum vxoribus regiis, varia instrumenta musica suauissime insonantibus; quando currus tanta cum solennitate, deuotioneque procedit, adsunt sępe vtriusque sexus homines, *qui ex religioso affectu propria viscera in frusta concidant, eaque Pagodi obiiciant: alij se ipsos sub rotas currus substernentes sustinent se ita conteri comminuique*: quique hoc modo vitam finiunt, pro Sanctis Martyribus deinde adorantur, ossa eorum pro reliquiis sancte asseruantur. habent & alios actus plane contra naturam, quos mihi quidam comitum meorum spectator omnium enumerauit, de quibus etiam passim per Indiam manifeste constat.

Currus ingens quo Pagodes vehitur per elephantes.

Ex deuotione sponte concisi & contriti.

Ipse cum amico quodam meo Lusitano aliquando peregrinabar animi gratia, per sex septemue milliaria, impetrata à Vicerege venia. habebamus comites quosdam notos *Decanyns*, & Indos. erat autem nostrum institutum videre ceremonias in funere Brachmanorum cum vxoribus viuis cremandorum, siquidem de tali funere futuro inaudiueramus. Dum varia mirabilia memo-

rabilia.

rabiliaque passim videremus, deuenimus ad loca Lusitanis habitata, procedimus per campos, videmus passim in rupibus & scopulis montium *Pagodes* incisos atque tanto spacio inter se absentes, quantum orationi dominicæ dicendæ sufficiat, erant autẽ idola tam monstrose deformia vt dæmonia referre potius, quam Sanctorum effigiationem putes. Tandem ingressi pagum videmus templum amplissimum ex lapidibus extructum: in eo præter pictam tabulam nihil erat, tabella ea in medio templi appensa referebat tam formidandam terribilemque figuram appictam, vt nunquam per somnum magis tristem videre possis. Forma appicta complura habebat cornua, dentes longe prominentes & deorsum supra mentum deflexos: infra vmbilicum supra ventrem similis erat facies efficta, pari deformitate cornibus & intestinis sparsim circumfusis, in vertice pileum habebat haud absimilem pileo pontificali triplici corona conspicuum, atque vt summatim dicam, simillimum erat monstro in apocalypsi descripto: tabella ea ad murum pendebat peculiari fornice à reliqua templi structura separatum, & in conclauis forma inclusum, opacum & sine omni fenestra aut vllo foramine luci peruio; erat in medio parua ianua, vtrinque ad ianuã fornacula in ipsum murum immissa: erant crates in muro ferreæ, per quas fumus transiret in sacellum illud, si quando holocaustum imponeretur, vidimus ipsi impositam siliginem, orizam, gallinas, fructusque &c. ab Indis quotidie oblata, quæ combusta fœtorem edebant, qui hominem præfocare posset, erantque omnia fumo & situ fœdissima; non procul à ianua. In medio templi stabat vitulus lapideus, in quem vnus ex comitibus nostris insiliebat exclamans illudensq;, quod cum Brachmanus, cui templi custodia erat concredita conspexisset alta voce conuocabat vicinos, vnde concursus tumultuarius ortus, nos interim rem cum Brachmano transigentes quam poteramus commodissime eam excusabamus, vnde placati animi & motus sedatus quieuit. inde rogabamus Brachmanum vt ianuã Sacelli recluderet, quo videremus quid intus lateret, nec nisi multis precibus ab eo impetrauimus. ianuam itaque aperiens frontem nobis cinere prius inspergendam esse aiebat, quod cum sufferre recusaremus, præmonebat nos ne limen vlterius transgredi sed forinsecus illud contueri saltem vellemus. Aperto itaque Sancto sanctorum, apparuit spelunca tristissima. summũ lacunar per omnia clausum erat, nec.n. pręter ianuã vllũ foramẽ luci infundẽdæ aderat, vt nec per vniuersum tẽplum alius erat aeri transitus, quam per fores. pendebant in summo tholo vel cẽtum lampades ardentes, in medio paruum erat tabernaculum, totum gossipio instratum, atque puro auro obductum, suberat *Pagodes* aureus totus paruæ puppæ magnitudine. ante fores templi erat amplissimum aquæ receptaculum lapideum, in terram demissum, circumcurrentibus scalis vt in id descendi posset, erat in eo aqua impurissima viridis, putida, fœtida, in quo abluebantur templum adeuntes. Pergentes inde certo spacio emenso 20. vel 30. passuum occurrebant petræ in quibus & speluncæ & pagodes incisi stabant plurimi.

Tabella deformi imagine.

Lusitanus insilit in vitulum.

Descriptio sacelli.

Pagodes ex puro auro.

Ea idola quæ in triuiis sine templis nuda astant, habent penes se aquæ receptacula excisa in saxis ex quibus prætereuntes pedes saltem abluant, adnexa est testa dimidia nucis Indicæ, qua in haurienda aqua vtuntur, quæ omnia in gratiam peregrinantium ita disposita sunt, quo passim habeant procidendi adorandique commoditatem. adsunt plærunque simul fornaculæ duæ, & vitulus siue vacca è lapide, cui oblationes proponunt comedendas prout quisque magis in cultum vituli propensus deuotusque fuerit. Credunt *Pagoden* noctu oblationes absumere, verum res aliter se habet, si quidem Brachmani testibus remotis ea sibi auferunt. nos quidem passim offendebamus eiusmodi

oblationes factas, verum quod sordidissimæ essent fastidium nobis creabant, adeo vt ne tactu quidem eas contrectaremus. ad satietatem itaque istas superstitiones contemplantes reuersi sumus in pagum, vbi templum modo dictum stabat. Brachmanus enim significarat nobis horam, quando sub vesperam *Pagoden* rusticatum ducere vellent pompa & processione publica, quæ cum aderat pulsabant campanulam forte à Christianis acceptam, illa audita, conuenerunt passim vicini, & assumpto *Pagode* illo aureo deprompto ex incunabulis multa cum deuotione reponunt eum in lecticā, quam primores pagi istius ferebant, comitantibus reliquis magna cum veneratione insonantibus instrumenta, tympana peluesque pulsantibus, hoc processu ibant per campos, donec ad aqualiculū deuenirent, in quo eum mundissime, hercle vt merebatur, abluebant, quo facto reuertebantur domum ad sacellum, vbi repositum eum relinquebant, vt ex suffumigio hostiarum reficeretur, peractis deinde precibus & oblationibus factis domum repetebant, committentes cætera Brachmano, qui vna cum familia sua lautissime in oblatis victitabat.

Padoges spaciatum per campos circumfertur.

Atque hæ sunt ceremoniæ, superstitionesque quibus occæcati gentiles immerguntur, firmiter persuasi quod ita vitam æternam habituri sint. Commemorant sane multa mirabilia & miraculosa de idolis suis Pagodes, quæ & miseriam & cœcitatem ipsorum coarguunt, nos vero, ea incitare debent ad gratias deo agendas pro luce Euangelii sui nobis reuelati, quodque nos sibi adscitos redemerit, nec inter tam miseras gentes nasci voluerit, precemur vt pater misericordiarum hosce quoque sui agnitione illuminet, vnde omnis salus & beatitudo vnice dependet: sunt enim & hi proximi nostri, atque creaturæ DEI, qui pro paterna sua bonitate eosdem respiciat largiaturque pariter omnibus, vt animo & corpore perpetuo sani saluique gaudeamus. Amen.

Exhortatio ad Christianos.

Vt rectius & manifestius pateat quam deformia & detestanda idola gentes colant, fecimus ea suo loco effigiari, ea forma qua passim in rupibus, saxis & speluncis visuntur, adiuncta simul vacca seu vitulo illo lapideo. Depinximus & Mahumetanos atque Æthiopes, eo habitu, quo inter Malabaros degunt, versanturque, addidimus & templa *Mescitas* illis dicta, item aqualiculos ante templorum fores in vsum ablutionis repositos, quæ & Historiæ lucem, & Lectori recreationem afferre possunt.

Finis II. Partis Indiæ Orientalis complectentis Io. Hugonis Lintscotani Nauigationem in Orientem.

INDEX.

RERVM ET VERBORVM IN HOC SECVNDO TOMO HISTORIÆ Orientalis comprætiensorum.

A.

ABexis. 9
Abyßini quicquid agunt simul cantant. 105
Achombane castellum. 9
Adami & Euæ habitus. 105
Ægyptus. 9
Æstas & hyems in eodem monte, & eodem tempore. 44
Æstate naues in mare deducuntur. 94
Æstiuale tempus. 94
Æthiopes non adorant ligna. 110
Æthiopes nudipedes templa ingrediuntur. 110
Africæ diuisio. 9
Albanus Dux Olyßipone moritur. 4
Albertus Austriacus Gubernator Lusitaniæ. 4
Alchimistæ aurum in Goa quæsiuerunt. 76
Alepi negociantur Veneti, Angli & Galli: arcentur inde Hispani & Lusitani. 28
Algallia vel Zibettum. 44
Aloe in Socotora insula. 22
Aluum in terræ planitiem exonerare piaculum apud Guineos. 12
Amantium astutia. 87
Ambitio Lusitanorum. 80
Amboyna Insula. 52
Antonius Lusitanus occumbit victus. 4
Appellatio quando concedatur in India. 87
Aquæ dulcis fons vnicus Goa. 76
Aqua dulcis subtus mari. 29
Aqua hyeme dulcis, æstate salsa. 93
Arabum latrocinia. 27
Arbores 16. & 17. passuum in ambitu. 9
Arma Chinensium. 58
Armusii descriptio. 26
Arundines craßiss. 42
ex Asse negociantes. 92
Auctio Goæ. 76
Aula regia in China. 56
Aurifabri. 92
Aurifodinæ in Monotopa. 20

B.

BAlsamum verum. 49
Bambus genus flagri. 80
Bananas fructus. 12
Banda insula. 51
Barbitonsor Rex in Seylon. 39
Barsalor ciuitas. 35
Bataui in Guineam veniunt. 9
Bataui in Rio de Caban appellunt. 13
BenZoi. 46
Bezoar. 53
BeZoar lapidis precium. 64
Breuia ad Negapatan. 38
Breuia ad Rio de Gaban. 10

C.

CAlamba lignum appenditur cum auro. 53. est in Copia. 54
Calculus, hernia, in India. 95
Calecutium regnum. 35
Calecutij interitus. 35
Campanula excubiarum in passo Goa. 75
Campar locus in Sumatra. 49
Camphora. 53
Camphoriferæ arbores. 53
Canella de mari, cinnamomum suppostititium. 36
Canonor ciuitas. 35
Capitanei reditus in Mossambica 300000. ducat. 21
Capo de Lopez GonZalim. 110
Caryophylla in maxima abundantia. 52
Catacombo insula. 14
Cathai. 55
Causæ cur porro non inueniantur nouæ terræ. 83
Chaa herbæ decoctum preciosißimum. 67
Chaulon arx Lusitanorum. 36
Chinarum regis reditus infiniti. 58
Chinenses naues habent innumeras in Cancon. 56
nullus Chinensium in patria sua regit. 58
Chinenses venerantur dæmonia. 58
Chinens. sepulturæ. 59
vestitus sericus. 59
Chinæ regnum habet XV. prouincias, Ciuitates primarias, 591. secundarias. 1593. 60
Chinens. ciuitatum forma, viæ regiæ, plateæ, aula regia, vrbis nomen vbi regia est Xuntien. 60. conuiuia, mores in mensa, potus, mores obuiantium, ciuilitas nobilium. 62
Chinæ Historia peculiaris edita. 62
Chirurgi Ethnici. 92
Christiani baptiZati viuentes more ethnico. 92. nudi obambulantes. 73
Cingulas Zingeuner in Seylon insula. 39
Cinnamomum optimum in Seylon, quod Lusitani furantur. 39
Circumciduntur infantes vtriusq; sexus in Seylon insula. 14
Classes totæ onerantur serico. 57
Claßis regiæ in India dispositio. 37
Cochinum regnum. 36
Columbæ tabelliones. 28
Commeatus saluus non nisi impresso symbolo datur per

per passo in Goa. 75
Concilium generale Goæ habitum. 41
Concubitus Christianorum cum Indis capitalis. 109
Congregatio frequens Goæ in foro. 76
Congregatio mercatorum Caffila dicta, quæ quotannis bus in Orientem profectionem instituit, continet 5. vel 6. hominum millia. 27
Conserua & confectiones Goæ venales. 77
Coquen palma Indica. 73
Core insula. 69
Cranganor munitio. 35
Crocodili in Gange. 43
Currus volantes velis instar nauium. 61
Currus ingens pro Idolo Pagode, qui Elephantis trabitur. 112

D.

Decimæ in Goa. 74
Deli terra diuisio. 70
Dentium & animæ olentis remedium. 86
Dentes lima acuuntur. 105
Derfira mons sine pluuiis. 25
Deuotionis ergo sponte contriti & concisi. 112
Diego regis Philippi filius moritur. 4
Dierum ratio in India. 96
Dispositio Lusitanica contra Sumatram. 49
Docti venerabiles in China. 58
Dormitur sub aqua ob æstum Solis. 28
Dos nubentium apud Chinens. 61
Dutroa herba infatuat. 84

E.

Educatio liberorum. 87
Elephanti in Africa. 45
Elephanti nobiliores & qui à reliquis cum veneratione salutantur in Seylon. 40
Elephas albus adoratur, est causa belli. 46
Elephanti 300. non sufficiunt vni trabi trahēdæ. 41
Equestris ordinis insignia constant ex pudendis. 106
Equi mille Ioachimicorum valore. 30
Expeditio in India mari suscepta disponitur. 78
Expeditio memorabilis in Seylon. 112

F.

Fabula de Gange. 42
Famulorum fidelitas. 65
Fœmina cur nudæ. 45
Ficus Indicæ folia in variam supellectilem. 91
Filiabus filo consuuntur muliebria, quæ sponsus apte incidit. 45
Filiæ Nayrorum, non nisi cum Nayris licite concumbunt. 108
Filij non sunt hæredes patrum. 109
Fonseca Archiepiscopus excipitur Goæ. 23
Forum Clenodiorum Goæ. 76
Forum frequens extra Cananor. 35
Franciscanorum templum. 111
Funera cremantur. 90

G.

Gallicus morbus honestus. 95
Gallina nigra intus & extra. 19
Gange fabula. 42
Ganges Indis sacrosanctus. 43
Geloulo Insula. 52
Goa & nationibus & religionibus libera est. 89
Guineæ religio, vestimenta. 11

H.

Henricus Lusitaniæ rex moritur. 12
Heros ex Bengala Deli regnum recuperat. 70
Hispaniæ regina moritur. 3
Historia de China. 62
Historici & Scriptores in China. 61
Homicida in Iaponia. 65
Homines crure Elephantino in Bisnagar. 41
Hyemale tempus. 93
Hyeme alueus obstruitur ex arena. 93
Hyeme domi sedetur propter æstum. 93
Hyemem faciunt pluuiæ. 93

I.

Iagos religiosi. 90
Ianua templi S. Thomæ ex deuotione cæsim imminuta. 42
Iaponiæ regimen. 67
Iaponiæ principes & vasalli. 67
Iaponensium origo. 66. conuiuia. 66. mores cæteris contrarij. ibid.
Iaponij nec carnes nec lac comedunt. 65
Iaponiam sine Iesuitarum permissu nemini licet incolere. 68
Iesuitæ auari & impij. 106. in Iaponia habentur pro sanctis. 69. habent ex suo ordine Episcopum. ib. calumniantur viceregem. 89. Viceregis donaria intercipiunt. 88
Impostura Benjamini cuiusdam. 112
Indorum regum nomina. 72
Iniamos fructus 12
Inquisitio Goæ in nouos Christianos. 73. 75
Insulæ 1100. circa Maldynam. 38
Ior ciuitas expugnata habuit tormenta bellica 2500. 49
Iudæi consiliarij regis Cochini. 109
Iudæi multi in India 109
Iuramentum Indorum. 102

L.

Lacca, cera Hispanica. 45
Laqueo minor, laqueo maior insulæ. 69
Larina moneta Persica quæstuosiss. 27
Lasciuia mulierum inexhausta, & obscenitas. 82. 84
S. Laurentij insula: ibid.
Lignum in lapidem mutatur. 50
Lingua Iaponiæ & Chinæ differt. 68
Lusitanorum ambitio. 80
Lusitani in continente Indiæ nihil possident. 83
Lusitanorum delitiæ. 95

Lusitani

Lusitanica dispositio contra Sumatram. 49
Lusitani famulorum quaestu viuunt. 77
Lusitani in honoribus plus quam in diuitiis gloriantur. 78
Lusitani Nayros certamine singulari vincunt. 108
Lusitani vxores ducunt Indas. 76
Luxuria perdit Lusitanos. 95

M.

Magi & gesticulatores. 90
Malabarorum regni diuisio. 37
Malacae primordia. 48
Malaca peculiarem linguam sibi vsurpat. 48
Malacenses ingeniosi poetae. 48
Mali formosiss. & procerae in Cananor. 85
Mane primum quodq; visum, adoratur per totum eum diem, si vel porcus sit. 90
Mangalor ciuitas. 35
Mare rubrum. 23
Margaritarum piscatio. 55
Margaritae Orientales optimae Armusii. 26
Maritati soli sunt ciues in Goa. 77
Martauanas vasa lutea. 46
Masculus 15. annorum non erit in aedibus matris. 84
Maynotes lauant vestimenta. 102
Mecon fluuius inundatur vt Nilus. 54
Medici Indi. 92
Megmedis sepulchrum. 22
Mendici nulli in China. 59
Mensulariorum vsus. 92
Mestici qui. 19
Miraculum S. Thomae. 41
Mogores sunt Tartari occupantes Deli. 70
Molucco insulae quinq;. 50
Moneta cuprea. 50
Moneta regalis acceptiss. in India. 6
Monsoyn venti opportuni. 21
Montes ardentes. 49. 52
Morborum aliquot curatio. 94
Mordexyn morbus mirus. 94
Mulieres lecticis per publicum deferuntur. 59
Mulieres natandi peritae. 86
Mulierum recreatio in villis. 93
Mulieres vino deditae. 47
Mulieres viros veneno tollunt. 83
Munditiès Lusitanorum in re familiari. 80
Murus ad Chinam 500. milliaria longus. 56

N.

Nares adulteris praesecantur. 43
Nauis cum naualibus mercibus, & cibariis ex palma. 38
Nauigatio expeditissima mensium quinq;. 23
Nauium dimensio in Macau. 63
Nayros armati vbiq; incedunt. 107
Nayros lauantur quotidie. 108
Nayro licet Polyan confodere. 108
Nayri cum vxoribus alienis libere concumbunt. 107
Nidi centeni ex vno ramo in Guinea dependentes. 15
Nobilium beneficia in Soldatos. 82
Nocturnae peregrinationes votiuae. 86
Nomina portarum Goa. 75
Nomina regum Indorum. 72
Nouitij Lusitani deridentur. 84
Nuces contra venenum. 38
Nuptiae Lusitanorum famil. 81
Nuptiae soldatorum 82
Nype vinum ex nucibus Indicis Coquen. 47

O.

Officia conferuntur ex gratia regia. 80
Onor ciuitas. 35
Oues quinq; quadrantibus constantes. 19

P.

Pagodes idoli cellulae 400. 111
Pala Dagula. 53
Palmarum reditus. 77
Palmifera loca ad Goam. 74
Papyrus & pennae in China. 61
Paradisus prope Bassoram. 26
Paradisus & vestigia Adami in monte Seylon. 39
Parentes vendunt liberos tempore famis. 106
Partus sine obstetricante. 103
Passeres de Sol, Paradeißvögel. 52
Pedir locus in Sumatra. 49
Pestis Indiam non inuasit. 95
Petrae salis Armusii. 26
Philippinae parent Hispanis. 54
Philippus Rex Portugalliam occupat. 3
Philippus Strozius Dux exercitus. 4
Pilei contra tempestates. 80
Pisces in Guinea. 10
Poculi Indici forma. 84
Polyas arma non tractant. 109
Pondera in Macau. 64
Porcellina vasa. 57
Porcina caro saluberrima. 19
Praestigiatores miri in Seylon. 40
Pristis piscis rostrum. 14
Priuatum commodum causa malorum. 83
Pudenda victis hostibus execta. 106
Puellae aduenis locantur precio. 45
Puellae octo annorum defiorata. 107
Puerperia Lusitan. 81
Pugna cruenta inter Pegu & Sian. 46
Pulices necantur fimo vaccino. 91
Putredines in Guinea. 10

R.

Reciprocatio maris rapaciss. 31
Reditus regii in Iaponia. 68
Reges tres ex Iaponia Romam profecti. 68
Regis Armusiani fratres excaecantur. 26
Regis Chinensis titulus. 61

Regulorum ornatus in Guinea. 13
Reubuti populi. 70
Religio libera in Goa. 75
Rex Dachem hostis Lusitanorum. 49
Rex Syelon obtruncatur, regnum diuiditur. 39. *obsidet Lusitanos elephantis 300.* 39
Rex Sarama Perial. 37
Rhinocerotes, 44
Risa moneta Lusitanica. 6
Rosæ sparsæ in nuptiis. 81
Rostrum pristis piscis. 14

S.

Sacrifici sacrificia deuorant. 91
Sacrificium Venereum. 815
Salaria stipendiariorum. 78
Salis Vectigal annuum in vno Chinæ loco, quindecim tonnas auri facit. 58
Samorini nomen. 37
Salsette habet duo templa. 111
Scaphæ Canaryns ex solido ligno excauato. 103
Seditio in Portugallia. 2
Serici certa genera. 63
Serpentes in mari instar anguillarum. 24
Seruæ prolem suam amant. 87
Seruarum soboles ex Lusitanis suscepta. 87
Signa Christianis inusta loco baptismatis. 104
Simiæ dens in monte Pagodes. 111. *denti vota fiunt. ibid. redimendus septem auri tonnis.* 112. *comburitur.* ibid.
Socotora insula habet Aloe optimum. 22
Soldati quare mercatores fiant in India. 82
Soldatorum in India victus & vestitus. 82
Sol & Luna habentur pro coniugibus. 58
Sponsæ per Pagoden eburneum deflorantur in honorem sponsi. 90
Sponsus rogat aduenā vt defloret suam sponsam. 45
Status omnino duo in India. 77
Stipendiariorum consignatio in nauibus. 77. *mittitur in Indiam.* 78
Sumatra Chersonesus aurea. 48
Superstitiones in India. 91

T.

Tabernæ Indorum instructissimæ à mercibus. 91
Tanassaria ciuitas. 46
Tartari sunt Mogores. 70
Terræ olim inuentæ hodie per Lusitanos amittuntur. 83
Testimoniorum forma quæ soldatis dantur in India. 79
S. Thomæ historia. 40. *miraculum.* 41
Thomistæ Christiani similes Græcis & liberi in ceremoniis. 4
Thomistarum Episcopus Romam proficiscitur. 41
Tigris & Euphrates confluunt. 36
Tintinnabula in pudendis virorum. 43
Tituli dignitatum & officiorum in nauib. 78
Titulorum regiorum explicatio. 72
Tonsores & Chirurgi ethnici. 92
Tornate Insula. 52
Tribus singulæ sunt singulæ familiæ in India. 92
Tydor Insula. 52

V.

Vaccæ & oues sacrosanctæ. 90
Vappina insula. 36
Vasa pro Chaa potu preciosissima. 67
Venefici. 90
Venerem iuuantia. 85
Vermiculi in cruribus quatuor vlnarum. 29
Vetus Goa. 73
Vicereges in India non nisi triennium regnnt. 80. *nihil vtensilium relinquunt successori. ibid. visitant castella cum priuato commodo.* 88. *incusantur cum reliquis officiatis.* 89. *eorum crebra mutatio officit prouinciis.* 89. *eorum effigies omnes in India depictæ.* 88. *eorum pompa in templo.* ibid.
Vilitas omnium rerum in Bengala. 43
Vincentius Fonseca Archiepisc. Indiæ. 5
Vinum ex Coquen. 75
Viridaria amœniss. ad Goam. 74
Viri vxores suas perimunt. 83
Vltio Lusitanis familiaris. 80
Vngues in digitis manuum nutrire est nobilium. 108
Vniuersitates in China. 58
Vsuraria Goa. 77

X.

Xenodochia bene constituta 95
Xuntien metropolis in China, vbi sedes Regia. 60

Z.

Zelotypia. 84
Zibettum vel Algallia. 44

FINIS.

ICONES
VIVAE, VERAE ET GENVINAE NATIONVM,

GENTIVMQVE OMNIVM, QVOTQVOT ACCOLVNT AD ORAM MARITIMAM, QVÆ A GAdibus vſque in Indiam Orientalem,& inde ad Chinarum vſque regnum continuato ductu pertingit,additis eorundem ceremoniis moribuſq; ita expreſſis, vt coram ſpectari credas. Expreſſi ſunt & habitus moreſq;,quibus tum ipſi Luſitani,tum vxores & mancipia eorum hodie in India vtuntur.

Omnia elaboratiſsime ſcitiſsimeque in ære repræſentata,opera, ſtudio ſumtuque Io.Theodori,& Io.Iſraelis de Bry fratrum.

FRANCOFORTI

Excudebat Wolffgangus Richter, impenſis Ioannis Theodori, & Ioannis Iſraelis de Bry, fratrum.

M. D. XCIX.

I.

BATAVORVM primus ad Gabam flumen appulsus.



EXprimitur in prima hac icone Batauorum appulsus ad flumen Gabam, *quod per Guineam Æthiopiæ regnum labitur, vbi Lusitani in Æthiopem inciderũt, qui deductos in tugurium Nigritis refertum excepit humanissime. ibi ergo super stragulum bombycinum per pauimentum expansum cõsidentes, subitoque sursum tuentes conspexerunt AEthiopem supra thronum sedentem, quem illi* Mani Gabam *dixerunt. vocantes is immotus statuæ similis, torquatusque ex torquibus osseis & conspectu terribilis erat. ad pedes vetula ventum flabello faciens muscas abigebat. Vnde loci dominum eum agnoscentes, protinusque ad eum appropinquantes in genua prociderunt, manibus simul more gentis applaudentes. Dominus itaque loci et ipse testatus sui fauoris argumenta simili manuum applausu, donauit eos regiis veluti muneribus, aliquot videlicet stragulis affabre contextis, quo facto institutum iter prosecuti sunt.*

II.

Qvæ Batauis apud Cermentinum pagum acciderunt.



AD idem flumen Gabam, *ſed verſus fontem paulo altius appulſæ ſunt aliæ Luſitanorum naues, vbi infinita AEthiopum turba, partim haſtilibus, partim gladiis accincta decurrit acclamando* Io, Io, *manibusque complaudens. Luſitani per interpretem certiores beneuolentiæ indicium id fuiſſe, duos ex ſuis è nauibus ad circumſtantes miſerunt. at illi aduentantes cum exultatione & iubilo exceperũt, ſatiſque mirari homines albos prius non viſos non potuerunt, mox pari cum vociferatione, & euulſo gramine ſubſtrato deducti ſunt ad palatium præfecti, qui aduẽtantibus obuiam è cubiculo ſuo procedens ſupra ſellam ſtragulis artificioſe admodum contextis conſedit, ſignificans hoſpitibus per interpretem, gratum ſibi aduentum ipſorum accidiſſe, mox manuum complauſu ſignum dedit exclamans,* Fuio, Fuio. *tum regiæ vxores in gyros actæ choreas inſtituerunt, & ſequente reliquarum mulierum agmine ſaltantes palatio exceſſerunt. Luſitani deinde permutatione pro ebore facta perrexerunt. qua de re vide plura in contextu. Notandum hic præmiſſas duas icones non referendas ad* Ioannis Huygonis. *ſed ad aliorum Luſitanorum nauigationes.*

III.

EFFIGIATIO Æthiopum, qui ſunt in Moſſambica, Caffres nominatorum.



CAffres *Æthiopes ſunt ad oram maritimam, quæ ad caput vſq; bonæ ſpei porrigitur, colore nigerrimi, capillis criſpis, naribus ſimis, labiis tumentibus, labiis geniſq; perforatis, appendẽtibus vel oſsibus, vel margaritis; corpus faciemq́; vt plurimum inurunt ferro candente ad formã telæ Damaſcenæ ſericæ, nudi prorſus currunt. eorũ tamen vxores, qui in Moſſambica habitant, pudenda obuelant propter Luſitanorum conuerſationem, à quibus telam bombycinam in permutatione auri & eboris accipiunt. Integuntur autem à mammillis ad media vſq; femora, idq́; feminæ, at viri vix nuda pudẽda breui panniculo abdunt. Alÿ in Moſſambica ſunt Mahumetani, alÿ Pythagorici, alÿ Chriſtiani, reliqui ad vſq; caput bonæ ſpei nullam omnino DEI notitiam habent, viuunt brutorum more. qua de re vide plura cap. 4 & 41.*

IV.

De Caffrorum militia, deque fortitudinis præstitæ insigniis & remuneratione.



4

PRædicti Caffres *atq; Æthiopes inuicem variis bellis occupantur. viuunt enim moribus diuersissimis, & quisque vicus seu familia peculiarem habet Regulum. Victores victis, cæsis, & captis pudenda excidunt, quæ excicata Regi in reliquorum procerum præsentia offerunt hisce moribus: pudenda in os assumunt singulatim, atque ad regis pedes ea deinde expuunt. Rex collecta, & sublata in regium munus Victori restituit: quæ Victor filo connexa pro monili sponsæ seu vxori suæ de collo suspendit. Sponsa hoc habitu incedens in tantum attollitur, vt se vel totius mundi reginam, aut aureo vellere insignem credat. Alij ex* Caffris *carnibus humanis vescuntur, alij qui Lusitanis familiariter vtuntur, bello captos pro mancipiis vendunt.*

V.

Abyssinorvm deformatio. viuunt illi ſub Prætonis Iani imperio: Arabum item, qui in India remos impellunt, vera effigies.



*T**ALes ſane Arabes atq́; Abyſsini complures ſunt in India, quorum alij ab alijs venundati, alij vltro ſe in ſeruitutem tradiderunt: agunt ij in India remos per negotiatorum naues à Goa in* Chinam, Iaponiam, Bengalam, Malaccam, Armuſium, *& reliquas orientis oras maritimas curſum dirigentes. Arabes Alcoranum profitentur. Abyſsini Thomiſtæ partim, partim & ipſi Mahumetani ſunt ex conſuetudine Æthiopum atque Arabum tales facti. Chriſtiani pro baptiſmate nobis vſitato, quatuor inuſtas cruces in facie habent. patientiſsimi ſunt in omnibus & ad omnia obſequentiſsimi. In nauibus ſecum habent vxores & liberos. Feminæ induuntur caligis laxis more Arabum.*

vide cap. 40.

VI.

QVOMODO incolæ Armusij noctu in lintribus dormiant. & de propinquis regum excæcandis.



ARmusium Insulæ & metropolis eius insulæ nomen est. Rex in ea vbi primum inauguratus fuerit, propinquos suos omnes ex lege excæcari facit, ne fratre quidem excepto: excæcatos splendide deinde & laute per omne vitæ tempus reliquum alit. Tantus feruor in ea regione Solis est, vt nec arbos frondescat, nec cespes germinet, vnde terra sterilissima nihil præter scopulos & salis petras habet. Ædificia ex petris Salis extructa in summa contignatione plana & foramini vni aeri lucique hauriendæ peruia sunt; atque vt Solis æstum deuitent, mas cum femina noctu cōiuncti in excauata trabe aqua repleta indormiunt exertis capitib. Incolis huius Insulæ familiaris est affectus hic, quo vermes illis in cruribus excrescere solēt ad duorum triumve passuum longitudinē. de quib. lege c. 6.

CONGRE-

VII.

CONGREGATIO annua mercatorum negociantiumque, bis quotannis ab Alepo ad Armuſium inſtructa acie per Arabiam profectionem inſtituentium.



ALEPVM *Syriæ metropolis eſt ad mare mediterraneum. ibi quotannis bis congregantur mercatores, in* Aprili *videlicet &* Septembri, *numero circiter quinquies vel ſexies mille. Eos Capitaneus quidam cum octingentis* Ianitſcaris *ab* Alepo *ad* Baſſoram *vrbem vſque ſaluo conductu deducit. Vbi* Baſſoram *deuenerunt, naues conſcendunt, Armuſium vſque. Conueniunt ſtatutis temporibus mercatores, curantes vt merces in promptu ſint, quibus hinc inde negotiantur, adducunt Camelos, dromedarios, mulos, equos; bini in Camelo vtrinque inſident, nonnunquam merces ex vtroque latere impoſitas vehunt: procedunt tandem acie egregie ita inſtructa. Ianitſchari vtrinque Ordinem defendunt, præcedit Capitaneus comitatus quibusdam ſatellitibus ſequuntur pone lixæ & calones, tum inſtitores & promi.*

DE BRACH-

VIII.

De Brachmanis siue Sacerdotibus Indorum, item de mercatoribus eorundem.



Brachmani omnium nobilissimi & præcipui sunt inter Indos ethnicos, Sacerdotes plærique omnes, proportione corporũ & physionomia Europæis simillimi, colore giluo, corpore nudi, nisi cum foras progressi togã simplicem bombycinam sibi circundãt, capillos obuelãtes panniculo ab altero humero ad alterius lateris lumbos triplicem chordam per pectus habent, haud absimili modo, quo signa militaria ferre moris est. Domi mulieres nudæ omnino sunt, at foras progressæ desuper à capite telam laxam suspendunt, quæ & corpus integat, & partim per humeros reiecta recurrat: qui habitus est mulieribus Indis familiarissimus.

Similiter in hac figura ob oculos ponitur delineatio Benianum & Gussaratum ex Cambaia. *negociantur ij præ aliis in gemmis & margaritis, ingeniosi & acuti, colore Brachmanis similes, paulo magis candicantes pariter etiam cum Brachmanis toga alba amicti sunt, quæ per latera in nodum colligitur succincta: quin calceos etiã ad pedum digitos sursum reflexos habent, nec quicquam in cibum assumunt quod animam in sanguine habuerit, eadem cum Brachmanis consuetudine.*

Tertio loco in figura appictos vides Canaras & Decanyns *mercaturam vt plurimũ in Goa exercentes. Habitant terram* Decan *siue* Ballagatte. *Artifices præstantes sunt in auro & argento. Idem ipsis habitus est cum Brachmanis &* Benianibus, *nisi quod calceis antiquitatem referentibus induantur. Barbas etiam secus quam Brachmani promissas, quantum fert natura, alunt. Cibos quoscunque familiares in esu habẽt, præter carnes suillas, bouinas, & vaccinas, quod ea animalia pro sacrosanctis habeant.*

IX.

De funere in demortui cremandique Brachmani honorem instituto: in quo simul eorum vxores viuæ in rogum ardentem insiliunt.



Mos est Brachmanis, vt aliquo ex ipsis demortuo, propinqui foueam parent, in quam ligna Sandali, herbas odoratas, cibaria, orizam, siliginem atque oleum inflammando rogo infundant, quibus incensis cadauer superimponunt. mox procedit vidua, comitata instrumentis musicis, quam cognatæ alacres exhortantur, vt virum fideliter insequatur, quo in altero mundo cum ipso inter mille gaudia exultet. ipsa vero animo paratißimo, lætabunda vestes & clenodia deposita inter proximas distribuit, mox ridens rogum insilit viua cum mariti cadauere concremanda.

vid. cap. 36.

X.

Ritus Nuptiales in Ballagate, quæ post Goam est, recepti.



Indi ethnici qui terram Ballagate *habitant, tum reliqui Indi, idolum colunt, quod* Pagodes *vocant. illi cultũ diuinũ deferunt, & tanta cum veneratione colũt, vt in honorem sponsi alicuius filias desponsatas ipsi adducant deflorandas. Conueniunt enim sponsæ propinqui, eamque cum musicis instrumentis ad templum deducunt, in quo* Pagodes *cum priapo eburneo prælongo erectus stat: illi sponsam imponunt tam arcte, vt Pagodes rupto hymene, sanguine circumquaq; conspergatur, in probam videlicet & signum virginitatis. Peractis hisce ceremoniis sponsam domum reducunt, pari cum pompa, qua prius adducebatur. Sponsus recepta sponsa, quam in eius honorem Pagodes prælibarat, in tantum gloriatur, vt se cæteris longe digniorem præstantioremque credat.*

XI.

FORMA præstandi iuramenti in Ballagate.



SPonsa ceremoniis celebratis domum reducitur, vbi rogus incenditur, ad quem ordine in gyrum considunt. rogum deinde septies (adhibitis adiurationibus peculiaribus) inuertunt, quo facto matrimonium consummatum est, & qui aderant illi solennitati quisque domum suam reuertitur. ante nuptiarum celebrationem, & item iis dē finitis conueniunt ad ædes sponsi nuptiales, personantes per dies aliquot noctesque tubas atque tympana, vnde totus vicus perstrepit.

Si contingat vt iusiurandum præstandū sit, adducuntur in circulum ex cinere factum, tum imposito in caput pugillo cineris furnarij, imposita item altera manu in caput, & altera in pectus iurant in nomine Pagode, *sic iurati fidem nusquam fallunt sanctissime.*

LEGATIO

XIII.

Effigiatio circumforanei siue ludionis Indi: item Soldati ex Ballagate, & Rustici Indi cum vxore & liberis.



IN hac icone primum proponitur Inda Balliadera, *id est, saltatrix, quæ in publicis ludis aliisque solennitatibus saltando spectaculum exhibet; quin si quis ea potiri velit, is precio vilissimo voti cōpos erit. Astat & Soldatus ex* Ballagate, *quem illi* Lascaryn *vocitarunt, nudus toto corpore, altera manu gladium nudum habens. Tandem astat & rusticus* Canaryns, *cum vxore & liberis nudus & ipse præter pudenda modice intecta, cætera* Decaninis *&* Canarynis *simillimus, quantum videlicet corporis habitum & religionem attinet: colore paulo magis fusco, in medio vertice capillos alit innodatos, cætera rasus. Vitam ex agricultura & plantatione palmarum sustentat. Qui ex illis maritima loca habitāt, propter Christianorum conuersationem & ipsi Christiani facti sunt: Feminæ corpus obuelant panno, qualem figura refert.*

 Tria

XIV.

TRIA Nauigiorum genera piſcatoribus in Goa & Cochino vſitata.



C*Anarini, quorum proxime facta eſt mentio, piſcaturam dexterrime exercẽt, habent ſcaphas multa compage & vimine conſutas, illis* Almadias *dictas. Habẽt & aliud nauigij genus ex ſolido ligno excauato, cuius vſus eſt, ſi quando animi gratia alueum traiiciunt, & ſi aquam fontanam ad naues onerarias aduehunt venalem: quæ ex illis maiora ſunt, dicuntur* Tomes, *minora* Palegua.

XV.

DELINEATIO Æthiopum mahumetanorum, & Malabarorum laycorum siue Polyas.



HÆc vera est efformatio Malabarorum inter Goam & Cochinum ad mare habitātium, Lusitanis infensissimorum infestissimorumque. Colore sunt nigerrimi, adeo vt nitescant, cætera Europæis simillimi. Viri pudenda modice integunt, feminæ corpus medium obuelant succinctorio simplice, comam alunt viri pariter & feminæ, quam in summo vertice innodant. Habent aures tam patulas & laxas, vt super humeros innatent. Pythagorici sunt, vt & cæteri Indi, nisi quod pauci Megmedis traditiones sequantur, qui videlicet Canonor *habitant, qui & ipsi magis vestiti, minusque auriti sunt, quales figura exhibet.*

FORMA

XVI.

Forma Vicorum, Ædificiorum Tuguriorumque in India.



Repræsentatur in hac adũbratione Vici & ædificia siue tuguria Indorum. prope vicos singulos lacus est aqua fœtida squalidaque plenus, à Brachmanis certis ceremoniis & solennitatibus consecratus. Lauant in eo tam viri, quam feminæ: quin Rex ipse ab ima planta ad summum vsque verticem se proluens quotidie, nullo omnino prætereuntium pudore. Fœtet is tam grauiter, vt nemo nisi naribus obturatis, præterire queat. atq; hæc ablutio creditur omnia commissa peccata ita delere atque eluere, vt porro mundissimi sanctissimique sint.

vide plura cap. 42.

XVII.

De nauigiis Lusitanorum & Malabarorum, quorum in expeditionibus vsus est, quibusque mercatores vtuntur.



Est illis nauigij genus, tam Lusitanis quam Malabaris in vsu, quãdo vel expeditione suscepta infesto Marte in bellum se parant, vel si mercatores iis in negociando hinc inde vti volunt per æstatem. nec.n. nisi armata classe per æquor currunt, vt Malabarorum impetum rectius sustinere, mercesque vectas tutius deportare poßint, siquidem agilitate atque velocitate, vt quæ & velis & remis impellantur, alia longe anteeant.

XVIII.

Rex Cochinus in Elephante obequitat.



REx Cochinus non nisi Elephantem domitans inuehitur. si quando locum mutare cogitat, stipant eum circumquaque Nayros partim hastati, partim sclopetarij. sclopeta enim seu bombardas expeditissime tractant. aliqui scuta gerunt, tantæ amplitudinis, vt post ea latere toto corpore tuto queant. Rex Cochinus vna cum Nobilibus Polyas dictis prorsus nudi incedunt. Vt tamen aliquo indicio à reliquis Rex discernatur, brachialia seu armillas, gemmasque preciosas & arma peculiaria habet, qualia Polyas nemo ferre potest licite.

XIX.

Penekays tumente altero crure nati, natio oriunda ex prouincia S. Thomæ. Molucani item & Peguani hic repræsentantur.



E*St inter Malabaros peculiaris natio, quæ à loco S. Thomæ nomen habet, dicta* Penekays. *illis proprium est tam viris quam feminis altero crure adeo tumescente nasci, vt eo nomine à reliquis Indis pro maledictis habeantur. Concolores sunt* Malabaris, *& in cæteris per omnia iisdem similes, præterquam, quod viri paulo amplius integantur. eorum effigies in hac figura exprimitur.*

Exprimitur & incola Indus ex Molucis Insulis, vnde Caryophylla & Solis aues ad nos aduehuntur. quorum vestitus est ex contexto stramine, cibus vero è ligno & radicibus tritis. Exprimitur & incola Peguanæ prouinciæ, vnde gēmæ preciosissimæ petuntur. Respondet autem ea natio ferme in omnibus Chinarum moribus atque naturæ, nisi quod paulo magis nigricent, & Sodomiæ deditissimi sint, vnde singuli singula vel bina interdum tintinnabula per penem appēsa habent magnitudine nucis iuglandis, quo videlicet à tam fœda libidine arceantur. Feminæ Peguanæ aliter non vestiuntur, quam vt ad pudenda breue ventilans velum ab vna parte scissum habeant, ita vt incedendo sæpe denudentur totæ: quo videlicet viros appetentiores sui, & minus Sodomiæ obnoxios habeant.

EFFI-

Effigies eorum, qui Malacam quique Iauas Insulas habitant.



Malacæ regnum omnium cultissimum & nobilissimum est per totam Indiam. nec alia præstantior Lingua, siue idioma politius in tota occidentali India auditur. Incolæ sic satis vestiti sunt, maxime mulieres: quarum forma hic apposita est.

Qui Iauan Insulam tenent, animis infesti & valde contumaces sunt, corpulenti, musculosi, facies planas, genas tumentes, supercilia crassa, oculos paruos, barbas rarissimas habentes. Colore similes sunt Malacensibus, aut Brasiliensibus. vide cap.20.

XXI.


IDOLVM Indorum Pagodes, & Templa Mahumetanorum.



Exhibetur hoc ſchemate miſeria, cui miſeri illi homines immerſi, veri cultus diuini plane expertes ſunt, colentes idola diabolica, paſſim per Indiam in rupibus inciſa, ea adorant, illis offerunt hoſtias omni cum deuotione, mox à Sacerdotibus Brachmanis abripiendas, ſub prætextu, ac ſi à Pagode *idolo abſumptæ forent. Porro exhibetur hic templum Mahumetanum*, meſquita *illis dictum, qualia complura in India videmus. adeſt ad templum lacus ſeu puteus, in quem gradibus aliquot deſcenſus eſt, & in quo abluuntur quoties ad preces fundendas ad* Pagoden *accedunt. cætera lege in contextu cap. 43. & 44.*

XXII.

PROCESSVS institutus, quando Pagodes idolum per Narsingæ regnum solenniter circumuehitur.



Est in regno *Narsingæ* Pagodes *præ aliis excellens, & venerabilis. is in summis festiuitatibus in curru cum quatuor elephantibus splendide circumducitur. pendent ad currum funes circumquaque, quos circumfusi apprahendentes pro deuotione currum ducunt. Sedent super curru vxores regiæ: varia instrumenta musica personantes comitantur currum, qui ex propriis visceribus carnes discerpentes* Pagodi *illas obiiciunt. Sunt qui se rotis currus substernant viuos comminuendos, quos deinde pro sanctis martyribus, & quorum ossa pro reliquiis venerantur.*

vide cap. 44.

XXIII.

HABITVS Chinenſium vtriuſque ſexus.



ALit Chinarum regnum homines forma præſtantes, ſic ſatis proceros, facies planas habentes, oculos paruos, naſos depreſſos, barbas rariſsimas. Cantonenſes Æthiopibus colore ſimiles ſunt, atque qui in meditullio degunt Europæis. Nobiles ſerico induuntur variis coloribus tincto: qui medij ſtatus ſunt, vtuntur & ipſi ſerico, ſed viliore precio, vulgus bombycinis telis incedit amictum. Habent togas ea forma, qua maiores noſtri vtebantur, plicis amplis, manicis laxis, & ſciſſuris aureis nodulis connexos. Qui ex regio ſanguine nati, quique in aliquem gradum promoti ſunt, palliis vtuntur auro argentoque intertextis, ad lumbos complicatis ſuccinctiſque, item calceis atque ocreis ſericis, quo habitu à reliquis nobilibus differunt. Iuuenes & adoleſcentes nutriunt capillos more puellarum noſtrarum comptos. Hyemali tempore pelliceis teguntur. Mulieres bene veſtitæ ſunt more Hiſpanarum, laxis manicis veſtibus ſciſsis, quin tela aurea, argenteaque ſubductis. Norunt capillos magna cum dexteritate innectere, atque gemmis vnionibuſque exornare, vnde longe fiunt ſpectatiſsimi. Soleis vtuntur vel ligneis vel coriaceis pro cuiuſque conditione.

QVOMO-

XXIV.

QVOMODO primores in China super sellis circumferantur, & de nauibus genialibus.



Vnt varij dignitatum gradus in China, quorum Mandorini *sunt præcipui, qui in sellis serico auroque obuelatis magnifice circumferuntur. Hi sunt qui regnum administrant; quorum opera si quis vti velit, atque eo nomine eos compellare, necesse est, vt procumbens in genua coram illis compareat. Sūt proximi à rege, nec præter eos alij per regnū principes habentur, nec ad ea fastigia præter doctos & literatos, vlli euehuntur, inter quos quisque eminentior est, prout eruditione fuerit præstantior. Ceteroquin illi ipsi sunt æque gulæ dediti atque vulgus Chinensium, deliciantur, genioque indulgent terra mariq;: in quem vsum naues splendide apparatas habent, serico auroque intectas, apposita in medio mensa opipare instructa.*

 MODVS

XXV.

Modvs mulieres per publicum in lecticis deportandi: item currus qui vento acti per ſiccum feruntur.



MVlieres in China ſtatus medij feruntur per publicum ſedentes in ſellis ſplendide obuelatis, ipſæ prætereuntes recte contueri, à prætereuntibus vero nuſquã conſpici poſſunt. Sunt præterea in China currus rotis & velis apti tanto cum artificio, vt per planitiem campi nullo impellente agantur ventis mediocriter ſpirantibus. quod ſane ſpectaculum & amœniſsimum & commodiſsimum eſt.

XXVI.

NAVES Chinensibus vsitatæ velis arundineis & anchoris ligneis.



CHinensibus varia nauigiorum genera in vsu sunt, præcipue vero maiores naues habent in prora & puppi turritas. harum tantus est illic numerus vt maris præfectus vno die sexcentas cogere possit, estque earum vsus tempore belli. Flumina passim nauigiis adeo instrata sunt, vt cum populosissimis ciuitatibus potius, quam cum fluentis conferenda sint. Nautæ enim in iis totas familias habent, quin & mercaturas & negociationes publicasque tabernas & officinas per ea exercent haud secus ac in rebuspublicis bene constitutis. Complures videas, qui nunquam in terram firmam egressi perpetuo in nauibus vitam transegerunt. Tametsi vero & aliæ nauigiorum formæ propemodum infinitæ in China visuntur: nos tamen hoc genus præcipue appinximus, quod nec vela lintea, sed ex arundine contexta, nec anchoras ferreas sed ligneas in stellæ formam effectas præ se fert: quorum vsus est in negociando, præcipuus.

XXVII.

De reſignatione Loitiorum ſiue Nobilium in China.



Confertur Nobilitas in China quibuſdam perſonis, quos Loitios *vocant. Modus autē nobilitandi hic eſt. Traduntur in publicis Chinenſiū ſcholis omnes pariter facultates. ibidem inſtituitur examen à Viſitatore regio in palatio quodā ſplendidiſſimo publicum, in quo examine ſi qui præ aliis doctrina, maxime in Iure ipſis vſitato ꝓfecerint, iis nomine regis conferūtur inſignia Loitiorum, id eſt, nobilitatis. Sunt autē ea Zona bractea aurea, & pileus alatus, quibus à vulgo diſcernantur. finito examine promotionis dies indicitur. die conſtituto conueniunt* Loitij *in veſtibus ſplendidiſſimis. adueniunt &* Loitij *candidati habitu ſimplici, quorū ſinguli ſuos ſuſceptores præuios habent, geſtantes ornatū in nouas dignitates aſſumendum. Vbi candidatus ad ꝓmotorem acceſſerit, ſupplex in genua procūbit, rogans ſibi ornatum Loitiorum cōferri. præſtat deinde coram viſitatore iuramentum, quod & regnum regiamq́; dignitatem omni fide tueri velit; præſtito iuramēto aliisq́; quibuſdam ceremoniis exactis Viſitator, nomine Regis* Loitio *inaugurato ornatū & inſignia confert, vnacum nomine & titulo, amplexādo ſimul eundem, quem ſequuntur reliqui Loitij amplexātes eum ſimiliter. Peractis hiſce ceremoniis, cum multa ſolennitate & inſtituta ꝓceſſione per publicum deducūtur: præcedunt tubicines, & Muſici cū ſoldatis ſatellitibuſq́;, ſequūtur aliquot, qui ſceptra gerūt, & poſt hos reliqui* Loitij *in ſellis geſtati, mox ſuſceptores Loitiorū. Inſequuntur deinde qui ſex ſericos pannos geſtent, ita vt ſinguli à quaternis ferātur, in quibus conſignatū eſt examen ꝓ nouitio* Loitio *inſtitutum. Tandem inuehuntur promoti recens* Loitij *in equis albis tapetibus precioſis pictis inſtratis, quorū ſinguli ex humeris ſericas appēdices & pileos redimiculis ad pedes demiſſis habēt. quæ pompa cum inſtituitur, feſtum per totam vrbem ſolenniter celebratur.*

XXVIII.

MIRÆ Chinenſium ceremoniæ, quibus in ſacris & diuino cultu vtuntur.



CHinenſes in ſacris vtuntur variis ceremoniis. idolum triceps paſsim in templis habent. quod ſi rem alicuius momenti inſtituunt, ſiue negocium terra mariue exequendum aggrediuntur, idolum adeunt, colligantque duo ligna, quorum vtrumq; ex vna parte planum, ex altera rotundum ſit: ea ſortes exploraturi in altum proiiciunt. quod ſi ambo in planum latus decidant, omen fauſtum erit, ſi vero alterum in planum, alterum in conuexum decidat, malum erit. vnde idolo multis votis ſupplicant, vt id fauſto nutu ſecundet. at ſi vlterius ligna inæquali poſitu procidant, indignantur idolo, ſupplicant tamen rurſum, lignaque tertia vice experiuntur, quæ ſi tertia vice infauſto poſitu proiecta ſint, idolum pedibus proterunt abiectumque in mare, aut in ignem datum comburunt ex parte, ſiue etiam tandiu verberibus mulctant, donec ligna optato iactu in planum cadant, quo facto in locum ſuum idolum reponunt, excuſantes ſe & hoſtias opimas illi offerentes.

Adorant iidem populi malos genios ſequenti modo. procumbit ex iis quidam pronus in terram, aſtat alius qui in libro legat, legenti reſpondent cæteri cantu & nolarum pulſibus, ſtatim dæmoniacus ſpiritus inuadit ſuper terra procumbentem. is tortus facie horrendum, quæſitus quærentibus dat reſponſa pro oraculo. Sin hoc modo reſponſum nullum impetrare poſſunt, inſternunt pauimentum rubro ſtragulo, ſuper quod orizam diſpergunt, porrigunt deinde alicui ex circumſtantibus qui nec legere nec ſcribere ſciat, lignum in manus, cantantes nolaſq; pulſantes. mox qui lignum accepit, incipit characteres in orizam pingere, quos vnus ex circumſtantibus depictos colligit, atq; inde reſponſum elicit.

XXIX.

De Summorum iudicum geſtatione per publicum, & de tortura cui adhibentur malefici.



Regius præfectus per publicum delatus duos præeuntes habet, qui columnas duas in ſublimi præferant in ſignum præfecturæ, ſequuntur columnas arundines duæ erectæ, mox aliæ arundines duæ, rubris filamentis & loris appenſis, quibus malefici flagellantur. Sequuntur deinde duo, qui tabulas binas albas baiulent, quibus inſcripta ſunt, iudicis nomen, officiumque. poſt hos ſummus iudex in ſella portatur, aut in equo inſigni inuehitur, ſtipatus quampluribus.

Duo ſunt modi examinandi maleficos. Habent primum ligna duo longitudine ſpithamæ, craſſitudine duorum digitorum, in extremitatibus perforata tranſmiſſo fune. ſi quem maleficorum torquere volunt, inſertos illius digitos hoc inſtrumento elidunt, donec articuli fathiſcant; quod ſi nec hoc modo confeſſio ſequatur, Iudex tamen ex teſtibus inſtruatur, proceditur ad alterum tormenti genus. Sunt autem duo ligna plana longitudine quatuor ſpithamarum, ab vtroque latere perforata traiectis funibus. contorquent dicta ligna ferro inſertis reorum pedibus, malleo ferreo prægrandi tandiu impacto, donec delictum eloquantur.

XXX.

IVDICIA Criminalia, & carçeres apud Chinenſes.



CHinenſes in ciuitatibus ſuis habent carceres ampliſsimos, iuxta quos viridaria amœniſsima & piſcinas habent in recreationem captiuorum, quorum reatus non capitales fuerint, interim muris & cuſtodibus diligenter aſſeruati. Si qui capitis damnati non ſtatim ad executionem ob negotiorum intercidentium molem abripiuntur, ij interdiu incedunt in carceribus tabulam albam in manibus geſtantes, cui iudicium latum eſt aſſcriptum. Noctu incluſi & proni ſuper terram expanſi pedibus in compedes aut torcularia dantur, tum ferreæ duæ perticæ illis ſuper corpus intenduntur, vnde omnis motus expertes per noctem ſic durare coguntur.

Antequam iudex ſententiam latam exequatur, tertia vice ea deliberatur: quod dum fit, reus ſuper cinere furnario ſedens, edit comeditque largiter appoſita. vbi mortis cauſa ſufficiens depræhenditur, pulſantur campanæ, diſploduntur tormenta, reuſque ad locum ſupplicij deducitur. Fures vt plurimum ducenti ſimul virgis cæſi pœnas luunt. Capiuntur quidam in priuatis ædibus hoc modo: Reus primum proſternitur in faciem, mox manus illi poſt tergum religantur, hinc torcularibus ita affligitur pulſaturque per carnificem, vt ſi ſextam plagam accipiat, porro in cruribus ſe ſuſtentare nequeat: ſi vero quinquageſimam, certa mors ipſi immineat.

De Chinensium conuiuiis, & quomodo ægrotos consolentur.



Chinenses tot mensas hospitib. inuitatis maximo cum apparatu insternunt, quot eorum vocati comparent. apponunt cōfectiones ex saccharo animaliū formas varias referentes, & edulia admodū opipara, adhibent instrumenta musica, ludos scenicos & eiusmodi. si quis ex inuitatis nō cōparuerit, illi nihilominus mensa pari cū apparatu sternitur, appositis cibis non coctis, quos deinde peracto cōuiuio ad ædes illorum, qui à conuiuio abfuerunt, cum pompa deferunt.

Si quis in hoc regno ægrotus decūbit aut in extremis agit, illi statim affertur formidabile mōstrum, sinistra Solē, dextra pugionem sustinens, minitansq; decumbenti. dum prætenditur idolum, admonetur decumbens, vt fixis oculis in id intueatur, quo in altero mundo illud propitium experiatur. Credunt enim & ipsi animæ immortalitatem.

De

XXXII.

De Chinensium sepultura & precibus pro defunctis fundendis.



QVam primum ægrotus animam expirauerit, abluitur à propinquis, & inuoluitur inuolucris beneolentibus, & ex aromatibus suffumigatis. hoc habitu in sellam reponitur cadauer, ad cuius pedes propinqui in genua deuoluuntur, valedicentes illi. reponunt deinde cadauer in feretrum paratum ex ligno odorato, quod panno albo, in quo depicta est effigies defuncti insternitur. hæc tumba per quindenam integram in publico exponitur. fiunt interim variæ pro defuncti anima ceremoniæ oblationesque. Tandem funus cum cantu & instrumentis musicis sepeliendum defertur, defoditurque, infigunt sepulchro pineam inciduam, donec exarescat. finitis hisce ceremoniis sacerdotes chartas, in quibus animalia atque mancipia picta sunt, flammis absumentes domum reuertuntur.

Mos orandi pro animabus defunctis fit hoc modo: Statuto quodam die mensis Augusti ingreditur monachus cum aliis duobus fratribus in ædes designatas. is circumstantes adhortatur, vt quatenus defunctũ omni macula purum velint & in angelum lucis transire, preces & oblationes debitas exoluãt. mox altare apparant defuncti idolum super illud statuentes, thus adolentes, simulque quinque vel sex mensas dapibus pro defunctis insternentes. tum cantibus personant, tintinnabulisque perstrepunt. quæ dum fiunt vulgus offert in altare chartas quasdam. tandem subdiaconus, qui missam pro defuncto celebrat, precatiunculam dicit, eam modulando. reliqui per choros responsant, & chartas quasdam pictas super altari incendunt. quibus peractis considunt hilares, genioque & gulæ indulgent libere: qui modus est purgandi animas verissimus.

XXXII.

STATVS Officiatorum Lusitanorum in India.



Obiles & ditiores Lusitani in India equos alunt, in quibus per publicum obequitant, phaleris & tintinnabulis personantibus magnifice, inter cæteros satellites adest vnus, qui muscas ab equo abigat, & qui supra equitantis verticem pileum more gentis contra iniurias cæli præferat.

XXXIV.

Lvsitani in India deferuntur in Lecticis.



Qvod si equitandi fastidium Lusitanos ceperit, habent mancipia complura, quibus per publicum in lecticis deferantur. Sunt autem Lecticæ leuißimæ, & multa arte confectæ. perticæ ad quas appendent, constant ex genere quodam arundinis craßißimæ, sed ferendo oneri satis firmo: vnde baiulantibus minus oneri futuræ.



XXXV.

QVOMODO Lusitanorum vxores & filiæ deferantur per publicum.



Coniuges & filiæ Lusitanorum eadem pompa, qua ipsi domini, in lecticis deportantur per publicum. Lecticas Palankyn *vocant. Tametsi vero rarissimum sit in publico mulierem videre, si quando tamen deuotionis ergo ad templa deferantur, id dicto modo in lecticis obuelatis fit, ne videlicet à prætereuntibus conspiciantur; uti videre est in schemate apposito. intectas lecticas præfiguravimus in sequenti schemate.*

PERE-

XXXVI.

PEREGRINATIONES noctu deuotionis ergo à Lusitanis in India susceptæ.



Mos est Lusitanis in India, vt noctu templa frequentantes missam adeant. tum quidem tam viri quam feminæ stipati mancipiis suis pedites incedunt, persuasi hoc pedum officio se indulgentias largiter impetrare. vide cap. 31.

De foro Goæ frequentato, Leylon illis



Vera hæc eſt repræſentatio fori Leylon *dicti, quod in Metro*
Archiepiſcopus: & frequentiſsima eſt ibidem negociatio q
tur ſuis notis diſtinximus.

1. *Sub hoc numero deſignantur* Palankyn *ſiue lecticæ, de q*
euntibus minime conſpiciantur, ipſæ vero obuios q
2. *Mangones equos phaleratos in foro domitantes, appenſis ſimul tintinna*
3. *Nutrices lactentes Luſitanorum infantes, ſiue Slauæ à Luſitanis impr*
4. *Operarij, circumferentes aquam fontanam in vrceis per vrbem.*
5. *Proclamatores mercium, qui & mancipia, & quaſcunque alias res v*

Atque hæc præcipue deſignanda fuerunt. cætera in Hiſtoria luculenter pat

VII.

ᶜto, vbi variæ negociationes exercentur.



li totius Indiæ Goa frequentatur; residet autem in vrbe Goa & vicerex &
idiana, qualis in hoc schemate patet. quæ vt singula manifestius discernan-

bus agitur in 35. Icone, in quibus deferuntur mulieres ita tectæ, vt à præter-
sque rectè contueri possint.
llis, èquorum sonitu & equi animentur, & emptores alliciantur.
natæ, quarum liberi editi manent in potestate dominorum.

ales habent.

XXXVIII.

Qvo habitu vulgus Lusitanorum in India per publicum incedat.



TAndem effigiauimus & reliquos eo habitu, quo ad publica sacra accedunt, comitati & ipsi suis mancipiis pileos obtendentes more gentis. Si qui mancipia non habent propria, quales Soldati sunt, vilissima mercede ea conducere possunt.

Quæ sane sufficiant pro explicatione Iconum, quæ & Historiæ lucem & lectori delectationem afferre queant.

FINIS.


GAUDEO